





421

N: 62

TRACTATUS
BREVIS ET
VTILIS, DE ERI-
GENDIS FIGVRIS COE-
LI, VERIFICATIONIBVS,
*Revolutionibus & Direc-
tionibus.*


Autore
IOHANNES GARCÆO
Iuniore.



VVITEBERGÆ
Excudebat Iohannes Schwertel,
M. D. LXXIII.

THEMATA COELI GENITVRÆ

*Illustriss. Principis Saxonie Electoris
Augusti &c.*



CASPAR PEVCE,
RVS AD IOHAN-
NEM GARCÆVM.

SCeptriger Orion Graijs regnavit in oris,
Et populis æquo iura favore dedit.
Is quia siderei sinuosa volumina cœli
Nonerat, ingenio ductus ad astra suo:
Atq; hominum generi dulces monstrauerat artes,
Immotis volui legibus astra docens,
In quibus artificis lucet sapientia, tanti
Autorem quæ operis comprobat esse Deum:
Posteritas illum meriti memor intulit astris,
Conspicuum forma Principis atq; habitu.
Acer & ingenio & studio, prolixius æuum
Trux Nepa si fueret viuere, dignus erat:
Scorpius infesto sed eum niger opprimit ictu,
Exemplum facti sidera certa notant.
Bestia nam claro simul illucescit Olympo,
Ipse sub Oceani se celer abdit aquas.
Sic quasi vulnifico miser euanescit ab ictu,
Immerita visus procubuisse nece.
Et nostri tales patiuntur tempore morsus,
Huius doctrinæ qui monumenta colunt.
Liuidus inuidiæ multis cruor inficit ægrum
Pectus, in has artes ut maledicta vomant.
Nemo

*Nemo fouet doctos, quos publica cura fatigat,
Qui nulla quæstus utilitate docent.
Sed tamen expectent etiam sua præmia tandem,
Artes qui nullo nunc in honore putant.
Tu vero dignum facis ô Garcæ, quod istud
Parte tua studium prouehis atq; colis.
Non enim frustra rutilantia fecit Olympi
Lumina, naturæ conditor ipse Deus.
Signa, diesq; iubet menses annosq; notare,
Quod nemo, qui non inspicit astra, potest.
Ergo Deo gratus vere est, auro utilis omni,
Et longa dignus posteritate labor,
Astrorum cursus metiri, & temporis apto
Ordine digestas arte notare vices.*



ILLV.

ILLVSTRIS
SIMO PRINCIPI
ET DOMINO DOMI-
NO IOHANNI FRIDERI-
CO, DVCI STETINI, POMERA-
nia, Cassuborum & Henetorum, Princi-
pi Rugie, & Comiti Caycorum,
Domino suo clemen-
tissimo, S. D.

IOHANNES GAR-
cæus Iunior.



CONFIRMARI
adsensionē de Deo,
et de prouidentia in
animis, & per sese
honestum est uerita-
tis causa, & ad disciplinam, & ad
cogitationem de iudicio Dei utile
est. Hoc si qui Cyclopum more
A 3 negant,

negant, hi & Deum conditorem
horribili contumelia adficiunt, &
multa uirtutis exercitia ex homi-
num uita tollunt.

Cum enim Deus hominem
conditurus esset, & eum collocaturus
in hoc pulcherrimo domicilio
aspecturum cœlum, ordinem cor-
porum, & in sede sua, uidelicet in
terra, tantam uarietatem rerum
nascentium & animantium, fru-
gum copiam, arbores, nemora,
prata, fontes, flumina, denique in
suo corpore, mirificam distinctio-
nem partium & actionum, tan-
tum artis in uniuerso opificio ad-
hibuit, ut illustria testimonia pas-
sim conspicerentur, quæ ostende-
rent hanc totam rerum naturam,
& ipsos homines, non casu ex
De.

Democriti Atomis ortos esse, sed
à mente architectatrice. Et hanc
adesse generi humano, custodem
societatis humanæ, & certo puni-
entem atrociora scelera atrocibus
pœnis in hac uita.

Hæc testimonia si qui aspici
nolunt, aut contemnunt, furenter
aspernantur conditorem, & mul-
torum animos abducunt à consi-
deratione prouidentia, qua nes-
glecta, sequitur Epicurea seu Cy-
clopica impietas.

Necesse est igitur sanos om-
nes fateri, utilem esse consideratio-
nem ordinis in natura. Ac ut pro-
priè loquar, de cœlestium motu-
um doctrina illustre testimoni-
um est in primo capite Moisi.

Quid potest dici ad doctrinam de Anno confirmandam accommodatius, quàm quod ibi uox diuina inquit: Erunt in signa, tempora, dies & annos? An Solis & Lunæ circuitus constituere annorum metas possunt non obseruanti? Id cum impossibile sit, fateri necesse est, ibi diuinitus præcipi motuum considerationem. Quæ amentia est, cum Deus tanta arte distinxerit metas, æquinoctia, solsticia, Solis accessum in uere, & æstate, qui fouet calore terram gignentem fruges, & deinde regressum, ut mitigato æstu terra madescat ad accipienda semina, nolle horum itinerum utilitatem contemplari? sed historiam consideremus.

Vult Deus annorum metas,
inter

interualla & seriem sciri in Ecclesia, quia uult exordium mundi notum esse, uult seriem patefactionum diuinarum aspici, ut sciatur quæ sit prima doctrina, ubi, & quibus testimonijs tradita. Vult sciri, quo tempore filius adsumpturus fuerit humanam naturam, futurus uictima, & quo tempore rursus se generi humano ostensus sit. Ac magnū Ecclesiæ decus est, quod in sola historia Prophetica retenta est certa series annorum ab initio mundi, usq; ad Persicam Monarchiam, Postea Græcæ & Romanæ historiæ, & monumenta Hipparchi, Ptolemæi, & aliorum, qui annos & Eclipses recitarunt, illustribus testimonijs temporum seriem ostendunt.

Fatendum est igitur, oportere notam esse Anni rationem, quod si qui fateri nolunt, hi ueritatem manifestam, non errore mentis, sed malitia obruere conantur, & Deum autorem distinctionis temporum cōtumelia adficiunt.

Hæc satis sit hoc loco de motuum cœlestium doctrina dixisse. De diuinatrice parte nihil dico, nisi hoc. Etiam si nullæ essent tempestatum ac temperamentorum significationes in positu stellarum, tamen hanc *μωνὴν*, quæ uerissima & longe potior est, magnificiendam esse, quod uidelicet pulchritudo corporum & ordo motuum, illustria testimonia sunt de Deo, & de prouidentia. Etiam si
non

non ostenderent stellæ pluuias
aut æstus, aut in corpore humano
exuberantiam rubræ bilis, aut
atræ bilis, tamen hæc doctrina est
longe excellentior *μαθηματικὴ*, quod
hæc ipsa consideratio confirmat
mentes de Deo, & de prouiden-
tia. Sed in alijs scriptis sæpe uiri
docti & Deum timentes dixerunt
de dignitate & usu harum artium.
Quare hanc meam commemor-
ationem uolui breuiorem esse.
Totus autem hic meus labor tan-
tum illustrat doctrinam de moti-
bus. Adiungo discientium laborem
in computanda tota anniratione.
Ad hanc diligentiam bona inge-
nia inuitanda sunt, non sunt op-
primendæ artes, confirmanda
barbaries, & cum inscitia, mo-
rum feritas.

Ideo

Ideo autem Celsitudini tuæ
hanc lucubrationem dedicaui ,
quia scio te primum ueram de
Deo doctrinam pie didicisse, &
Deum uera inuocatione in agniti-
one & fiducia filij colere, Dein-
de & literas & honestas artes alia-
as, quarum in gubernatione ciuili
usus est, studiose discere.

Manifestum est autem, &
anni metas oportere notas esse in
Ecclesia & in imperijs. Quare
summi gubernatores doctrinam
de anno semper & conseruari &
illustrari uoluerunt , quam quia
propagari curauerant , grata po-
steritas nomina eorum sideribus
attribuit. Fuerunt enim sapien-
tum Regum & Ducum nomina
Atlas, Orion, Hercules, Chiron,
& alia.

Quid

Quid uero honestius & iucundius est, quam ipsas stellas esse uelut monumenta & trophæa Principum, & memoriam eorum conseruare?

Spero igitur Celsitudini tuæ hoc nostrum officium gratum fore, & Celsitudini tuæ hæc studia & me reuerenter commendo. Bene uale, Anno 1556. die 18. Iulij, quo die ante annos 456. mortuus est Dux Argonautarum nostrorum, qui Syriam recuperarunt, Godofridus Bilioneus iusticia & fortitudine excellens, ex cuius stirpe nata est illustrissima Princeps Sybilla, mater cognatorum tuorum Ducum Saxoniae &c. Iohannis Friderici secundi, Iohannis Guielmi, & Iohannis Friderici tertij.

Epis

EPIGRAMMA HIERONYMI OSII.

Æ Therea quantò naturæ corpora, fotu
Progenitis terræ sunt potiora bonis,
Et maiora parit cœli miracula virtus,
Mota sub aëria quam regione vigent,
Astrorumq; iubar luſtantibus emicat umbris
Clarius, & nitido nocte sub axe dies:
Tantò Astronomicis labor, & mens dedita curis
Nobilius vigili parturit arte decus:
Quam quorum à studio hoc industria mota rigescit,
Indagatq; nihil viribus astra ſuis.
Qui Latio eſſe ſatis maternas ore loquelas,
Atq; Ita, Non, Etiam, poſſe ſonare putant:
Cuncta ſerenantis Naturæ inſperſa theatro
Artificis ſpecimen forma potentis habent.
Illa ſui vario fœtu ſpecioſa colonis
Inſcrutanda vices cur tot in orbe regat.
Nempe viri docti hæc titulo eſt et nomine virtus,
Diuiteq; ornari munere digna Ducum.
Ergo quod ingenio hūc ſequitur Garcaus honorẽ,
Materiam famæ non morientis habet.
Illius vnde recens magna editus arte libellus,
Luce bona eſto ſerax vtilitatis opus.

Quem

*Quem studijs cœlum scrutandi intenta iuventus,
Hoc auri auspicio diuitis instar amet.
Autoriꝫ dies (edat quo plura) secundos
Optet, & hoc dignum laudet honore virum.*

*A D C A N D I D V M
L E C T O R E M.*

COLlegi aliquot propositionibus Candide Lector, ex optimis artificum monumentis, quas licunqꝫ studio & labore, utilem Astronomiæ doctrinam, de construendis thematibus cœli & motibus Planetarum calculandis, ut quæ ad hanc materiam spectant, sine longo labore, uno intuitu, statim in promptu sint, & oro reuerenter, ut studiosi Mathematicum, pro suo candore, quicquid est, boni consulant. Si quibus in explicatione non fuerit satisfactum

etum, illud quæſo expendant, me
hic Methodum iunioribus oſten-
dere, non exactam & integram
explicationem, quam ex fontibus
hauriendam eſſe intelligunt. Ac
ſi meum ſtudium boni proba-
bunt, dabitur à me opera, Chriſto
ſœliciter aſpirante, ut in Eclipſi-
bus & Ephemeridum doctrina
aliquid breui ſubiungam, quod in-
cipientibus cognitionem ſyde-
ralis ſcientiæ non ingra-
tum erit.



TRA

TRACTATUS

BREVIS ET
VTILIS, DE ERIGEN-
DIS FIGVRIS COELI, QVO-
modo totius cœli dispositio, quolibet mo-
mento temporis dato, inuenienda sit, &
quo ordine significatores ad promissores,
ex sententia artificum, dirigantur, ut
generalia & specialia iudicia
hinc recte eruan-
tur.

PROPOSITIO PRIMA,
DE DISPOSITIONE PRIMÆ
faciei Ephemeridum, & termi-
norum explicatione.

EPHEMERIDES SVNT CA-
nones, qui continent motus seu po-
situs diurnos Planetarum in Zodiaco, se-
cundum longitudinem & latitudinem,
quolibet anno, mense & die, nec non er-
raticarum configurationes, coniunctio-
nes & aspectus inter se, computatos ex
B tabulis



tabulis æqualium motuum, iuxta secundorum mobilium doctrinam. Hæ tabulæ diariorum, in tota Astronomiâ & Astrologia maximum vsum habent. Quare Studiosi, qui hanc partem Philosophiæ iucundissimam, cum fructu cognoscere voluerint, primum de dispositione, ordine vsuq; Ephemeridum cogitabunt. His prælibatis Astronomiæ initijs, utilissimam syderalem doctrinam degustantes, grauiora præcepta de Cœli constituendis figuris, natiuitatum aut aliarum rerum, & futurorum euentuum diiudicationem, rectius compræhendent.

Distinguuntur autem ad quemcunque annum diaria in tres pagellas principaliter. Prima continet aliquot generales terminos, proprie ad Calendarij constructionem referendos. Secunda, quæ est sinistra, motus Planetarum ostendit, ad meridiem diei completi. Tertia configurationes exhibet. De his ordine pauca dicemus.

Prima

Prima facies initio continet annum Christi currentem, ad quem diurnale pertinet, & additur vtrum sit communis vel bisextilis, qui vno die amplior est communi. Postea sequitur aureus numerus, Cyclus solaris, Litera dominicalis, Indictio, Interuallum, Festa mobilia octo. Pictatus in recentioribus aureo numero Epactas addidit. Cum vero horum terminorum mentio fiat, & minus noti sint incipientibus, definitiones trademus, simulq; inuentionem breuiter addemus.

Primo, Annum propriè & Astronomicè spacium temporis appellamus, quo Sol sub certo temporis spacio, motu proprio totum Zodiacum peragrat, vel ad idem punctum redit, vnde digressus est. Hic à Copernico libro 3. Revolutionum, in naturalem & sydereum diuiditur. Hæc distinctio ideo instituenda fuit, vt anni magnitudo eiusq; æqualitas, certa & inuariabilis semper maneret.

Annus naturalis, seu temporalis
seu vertens est, qui nobis quaternas vicissitudines temperat annuas : Vel est spacium temporis, quo Sol emensus totam Zodiaci longitudinem, ad idem solstitium vel æquinoctium redit. Hic diuiditur in medium & verum : Medius est, qui refertur ad medium æquinoctium vel solstitium, quo Sol ad tropica puncta media recurrit, & continet dies 365. horas 5. 49^{l^a}, 17^{2^a}, 37^{3^a}, 124^a, 375^a: Dicitur Tropicus, cum fiat relatio ad quatuor puncta Cardinalia, quæ τροπικὰ Græcis dicuntur. Hic annus propemodum Alfonsino est æqualis.

Annus Astronomicus verus, est spacium temporis, quo Sol ad verum æquinoctium siue solstitium reuertitur. Huius anni spacia inæqualia sunt, vt ex observationibus multorum temporum constat. Interdum anni mediū tropici quantitatem excedit, vt Ptolemæi & nostro seculo, interdum minor est, vt circa Albategnii tempora. Nostra ætate propemodum exæquat Ptolemaicam
& Hip

& Hipparchi. Ac de causis varietatis
quatuor, cur crescat aut decreseat hic An-
nus apparens, vide Copernicum libro 3.
Cap. 13. & præceptum 21. tabularum
Prutenicarum, vbi eruditissime ratio tra-
ditur, quomodo anni apparentis quan-
titas inuenienda sit.

Annus Sydereus est spacium tem-
poris, quo Sol ad eandem Stellam fixam
(vt ad primum Arietis cornu aut aliam
quamcuncq; Stellam) vnde digressus, re-
uertitur. Huius Anni quantitatem sem-
per æquabilem ac inuariabilem ponit
Copernicus, & continet secundum The-
bit (qui primus huius anni inuentor esse
dicitur) 365. D. 6. H. 9^{1^a} 12^{2^a}, secun-
dum Copernicum D. 365. H. 6. 9^{1^a}. 40^{2^a}.

Annus tropicus apparens diuidi-
tur in Solarem & Lunarem. Solaris
qui proxime ad motum solis accedit
iuxta Politicum vsus, est duplex, alius
communis, qui constat integris diebus
365. Alius bisextilis, qui dies integros
366. continet. Ad hunc annum solaz

rem Politicum, quem à Iulio Cæsare accepimus, ante annos 1600. diaria artificum computantur, hoc anno in Ecclesia propter vtilitatem & commoditatem maximam vtimur, quem Cæsar publico edicto anno ab Vrbe condita 709. ante Christum 44. vel 45. si annum comprehendas, quo Dominus est natus, publicauit. Hinc cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur, li qui ex quarto Cæsaris consulatu oriuntur, ac licet non sint optimi, vt Censorinus commemorat, soli tamen ad annum naturæ adaptati sunt, & ad agriculturam, in qua prodest temporum discrimina aptè & diligenter considerare, in primis conuenientes.

Cuius autem sit quantitatis & qualitatis, facile deprehendes, annorum Christi facta diuisione per quatuor: Si præcise numerus annorum Christi surgit, habes bisextilem, sic dictum, quod bis sexto Calendarum Martij eo anno dicatur. Sin aliquid remanserit, quotus sit post bisextum vel intercalarem, facile cor

le cognosces, & semper quidem post tres annos communes bisextilis sequitur, ex institutione Iulij Cæsaris. Nam cum in annis communibus omittantur illæ horæ, quibus periodus Solis 365. dies excedit, eadem postea quarto quoque anno in vnum diem conflantur, & mense Februario ante sextum Calendarum Martij inseruntur. Talis diei insertio, peracto quadrienni circuitu, post terminatæ, ubi quondam mensis solebat intercalari, usitate intercalatio dicitur.

Quod autem intercalatio aliquanto sit maior iusto, inde facile apparet, quod in anno Astronomico tropico, non præcise quarta diei naturalis pars, videlicet sex horæ, sed aliquanto minus super integros dies redundet. Illud ipsum tamen, pro integra diei quarta, in anno bisextili, reputatur. Hinc oritur causa, propter quam dies æquinoctiorum & solstitiorum anticipent, id est, ex suis sedibus in priorum mensium dies migrent, ut cum ante annos 1600.

vel circiter, æquinoctium vernum incidit in 25. diem Martij, nunc anno superiorirecurrat die 11. h. 6. 52.m.46. f. Differentia 14. dierum fere. Tantam illud ipsum, non tamen nisi pluribus annis elapsis 300. aut circiter, vnius diei varietatem, quod plus iusto intercalatur, reuera inducit,

Cur autem necesse fuerit vnum diem, quarto quoque anno, mense Februario, intercalari, notum est ex computo, nimirum propter vulgi commoditatem, vt ciuilia vitæ officia rectius tractari possent, deinde vt festa fixa, suis in locis, statis temporibus consisterent, solstitia & æquinoctia, cæteraque anni tempora, eosdem menses, tanquam sedes perpetuo obtinerent, alioquin 728. annis festa æstiuaria, in hyemalia mutarentur, & multarum rerum mutatio ridicula fieret,

Apud Ægyptios negligebatur hic quadrans, & assumebant tantum 365. dierum annum Solarem. Vnde æquinoctia & solstitia ad eosdem dies perpetuo

tuo non congruebant, sed potius propter
omissum quadrantem diei, quarto quo-
que anno, in sequentem diem migra-
bant, sic vt elapsis nonnullis seculis per
singulos anni dies, vagarentur. Ita Æ-
gyptij nullos habebant menses perpetuo
hybernos aut æstiuos, verum post 100.
annos fere Martius in locum Aprilis su-
biit, & similiter reliquæ anni partes pro-
mouebantur.

Tempore Christi, primus dies Thot
fuit 23. Augusti, à quo tempore vsque ad
annum currentem Mesiæ M. D. LV.
singuli dies Ægyptiaci anni retrolati
sunt, per dies 388. id est, vltra integram
periodum diebus adhuc 23. Vnde ad
annum Mesiæ 1554. labentem, pri-
mus dies mensis Ægyptiaci Thot, con-
gruit cum 31. Iulij, & è contra primus
dies Augusti cum 2. die Thot. Exem-
pli gratia.

Nascitur noster communis Præce-
ptor Dominus Philippus Melanthon,
Anno Christi 1497. Februarij die 16.
H. 7. M. 6. post Meridiem, quæro cu-

B 5 ius

ius qualitatis & quantitatis hic annus naturalis fuerit ? Diuido tantum duas posteriores cyfras per quaternarium, remanet vnitas. Vnde hic annus fuit primus post biffextum, & intercalatio facta est 374. dierum à Chrifto, vbi Ægyptij annum 1498. & dies infuper nouem numerarunt.

Annus Lunaris est, qui principaliter ad motum Lunæ accommodatus est, vel cuius principia mensium ad nouilunia relata sunt. Constat 354. Diebus, 8. h. 48.^{1a} 43.^{2a} 12.^{3a}. Hoc anno primi patres ante diluuium vfi sunt, Iudæi vsque ad Chriftum, & à Iudæis orti Græci, maxime Lacedæmoni, & ab his orti Romanī veteres autore Numa, vsque ad Iulium Cæsarem. Ac historia Noæ, annum Lunarem, duodecim mensibus synodicis definitum, exacte describit. Exprimuntur enim menses Lunares duodecim, & adduntur vndecim ἐπακταί, Hodie adhuc Arabes seu Mahometistæ annum secundum motum Lunæ retinent, estque quod ad nouilunia attinet & ple-

nilu-

nilunia satis commodus, sed æquinoctio-
rum & solstitiorum sedes mirabiliter tur-
bantur.

Babylonij vel Assyrij primum, cum
à Religione sanctorum patrum defecis-
sent, vñ sunt anno solari. Hos deinde se-
cuti sunt Ægyptij imprimis vsque ad
tempora Diocletiani, & credibile est
eos primum post exitum filiorum ex
Ægypto, mutationem instituisse. Vi-
de de his Berosum. Veteres Germa-
ni nouilunia obseruarunt. An autem
annum Lunarem habuerint, in dubi-
um vocatur. Hæc de anno breuiter
hoc loco attingere volui, cum integra ex-
plicatio ex Computo petenda sit, tan-
tum hoc simul notent studiosi, anno-
rum politicorum diuersa initia obserua-
ri. Moses enim mandato diuino ab æqui-
noctio verno orditur, id est, à nouilu-
nio, quod proximum æquinoctio siue
præcedens siue sequens, ita tamen vt
plenilunij dies æquinoctium sequatur.
Hic etiam mos fuit Ægyptiorum, vt
Simplicius refert. Asia studio dissentien-
di

endi ab æquinoctio autumnali, vt Iudæi
recentes. Græci à solstitio æstiuo, Latini
à solstitio hyberno,

Secundo sequitur in ordine aureus
numerus, pars Cycli decemnouenalis,
Est autem Cyclus decemnouenalis re-
uolutio vel certus numerus 19. annorum
solarium, quo tempore Veteres in 19.
annis scilicet, lunationes, coniunctio-
nem & oppositionem Luminarium, ad
sua principia, redire iudicabant. A Græ-
cis dictus κύκλος ἐννεαδεκατίετας, ab
Hebræis Lunaris circulus, quod nouam
Lunam monstret,

Huius partes aureum numerum
appellarunt, ob vtilitatem vel dignita-
tem. Hoc enim mediante, quolibet
mense, coniunctionem, oppositionem &
Luminum quadraturas inuenire potue-
runt veteres. Deinde à Romanis au-
reo colore Calendario inscribi solebat.
Hunc quolibet anno sic inuenies (licet
exiguum nunc vsum habeat, cum annis
19 per vnam horam 28^{ta}. in 304. annis
per vnum diem anticipet) adde annis
Chris

Christi vnitatem (nam nato Christo bi-
narius fuit aureus numerus) productum
diuide per 19. (Quia hæ sunt partes Cy-
cli) residuum quod diuidi nequit, aure-
um numerum pro anno proposito osten-
dit. Quotiens integras huius Cycli à nati-
uitate Christi reuolutiones exhibet: Si
post diuisionem nihil remanserit, com-
plementum totius Cycli assumatur. Ex-
empli gratia: Anno Messia 1 5 5 5.
currente, quæritur aureus numerus, ad-
dita vnitatem, & facta diuisione per 19,
quotiens 81. reuolutiones exhibet, & re-
siduum 17. annorum. Vnde anno pro-
posito aureus numerus 17, qui iuxta
consuetudinem lunationes medias mon-
strabit. Hodie in Ecclesia, ex decreto
synodi Nicenæ vtimur cyclo Lunari,
non vt monstret nouilunia, verum vt
Paschæ festum partibus suis deprehens-
datur, unde festa mobilia reliqua oriun-
tur. Sic anno 1 5 3 0. accidit coniun-
ctio Solis & Lunæ, mense Decembri
die 19. hora 8. mi. 0. Idem nouilunium
rediit anno 1 5 4 9. post 19. annos so-
lares

lares ad eundem diem, sed non ad easdem horas, vt supra dictum est.

Tertiò, Cyclus solaris, est spacium 28. annorum, in quo mutatio literæ Dominicalis, in sua principia reuertitur; Sic dictus, non quod Solis motum ostendar, sed quod literam dominicalem monstret, per quam scimus Dominicum diem quo Sol dominatur. Habet etiam hoc nomen respectu Lunæ. Sicut enim prior Lunarís dicitur, cum varietatem motus Lunæ & Solis ostendat; Sic solaris omnem diuersitatem, qui ex bissexto, & litera dominicali, accidit, commodissime explicat.

Mutatio verò literæ dominicalis ex superfluo die oritur, qui anno bisextili 24. die Februarij intercalatur. Hic dies tunc geminatur, litera F, in Calendario bis repetita.

Hunc Cyclum solarem si cupis inuestigare, annis Christi adde 9. (Quia decimo anno Cycli natus est Dominus) productum diuide per 28, inuenies

es

es in quotiente, quoties à nato filio Dei
Cyclus reïteratus sit, & quod remanet,
quæsitum monstrat : Si præcise surgit,
numerus totius Cycli 28. assumito. Sic
anno 1555 Quotiens exhibet 55. residua
um 24. Cyclum solarem ostendit.

Quartò: Litera dominicalis est vna
ex his septem, A. B. C. D. E. F. G. quæ
diem dominicum per totum annum o.
stendit. In anno autem bisextili duæ li.
teræ Dominicales occurrunt, quarum
prior à principio anni vsque ad festum
Matthiæ : altera ad finem anni notatur.
Vt autem facile literam dominicalem in.
uenire possis, sequentem tabellam ingre.
dere, cum cyclo solari, quem in superiori
versu inuenies, Litera subscripta erit lite.
ra Dominicalis, quæ si simplex, annum
communem, si duplex, bisextilem ostens.
dit. Vt ad annum 1555. tertium post
bissextum, Cyclus Solaris est 24. vnde
litera dominicalis F, diem dominicum
totius anni ostendit.

Tabel.

TABELLA LITERÆ DOMINICALIS.

Numerus. Litera do- minicalis.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
	G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D
Numerus. Litera do- minicalis.	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
	F	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A

Quintò, Cyclus indictionalis institutus à Romanis, cum vniuerso fere orbi terrarum dominarentur, vt transacto lustro, id est, quinquennio tributorum solutio fieret. Primo lustro exacto aurum ad Imperium afferebant, secundo argentum pro stipendio militum, tertio ferrum ad arma. Est igitur **INDICTIO**, numerus annorum 15. qui ostendit annum, quo Romanis tributa ferri solebant, & indicat quotus sit annus post tributorum solutionem, incipiens à Septembri, Romani enim hoc mense census exigebant. Sic inuenitur: Adde ad annos Christi ternarium, (Nam Dionysius Abbas Christum indictione tertia natum autumat) productum diuide per 15, residuum Indictionem Romanam ostendit. Si nihil remanet, quindecim assumantur. Sic ad annum 1555. Indictionem 13. inuenies.

Sexto. Epactæ sunt dies, quibus annus solaris 365. dierum communis, annum lunarem communem 354. dierum excedit,

C dit,

dit. Hæ per vndenarium numerum, vt I-
sidorus ait, vsq; ad tricenarium in se res-
uoluuntur, quas ideo Ægyptij intercas-
larunt, vt Lunaris emensio rationi solis
æquaretur, vnde & ἐπανταὶ & adiectiones
vocantur. Absq; his nō inuenies æta-
tem Lunæ, id est, quota sit à coniunctio-
ne dies. Ratio autem inueniendi Epac-
tas hæc est: Aureum numerum multi-
plica per 11. productum diuide per 30.
residuum post diuisionem Epactas anni
propositi ostendet. Sic ad annum 1555.
aureus numerus 17. Epactas 7. relin-
quit. Hoc numero mediante, ætatem
Lunæ, respectu temporis præteriti & fu-
turi, veteres tali forma deprehendebant:
Datur initio annus, mensis & dies, in
tempore Iuliano. Hinc anno proposi-
to Epactas concipe. His adde mensis
numerum, quotus sit à Martio. Produ-
cto adde dies mensis datos, & ætatem
Lunæ inuenies. Quod si maior numerus
quàm 30. excrefcit, diebus 30 abiectis,
residuum pro ætate Lunæ statuendum
erit. Vt quæro Anno 1555. quota sit
Luna

Luna septimo die Martij. Epactæ sunt 7.
pro mense hic nihil addo, cum in Marti-
um tempus assignatum incidat, His ad-
diti septem dies mensis propositi, nos
hodie 14. diem à coniunctione numerare
ostendunt.

Septimo : Interuallum minus est nu-
merus septimanarum & dierum, inter-
ceptis inter Dominicam natalis Do-
mini, & dominicam Esto mihi, No-
minatur aliàs Carnispruiuale aut Carnis-
uorum. Aliud est interuallum maius,
cuius hic non fit mentio, à Dominica
Trinitatis, vsque ad Dominicam Ade-
uentus Domini. Minus si est inqu-
rendum, accipe aureum numerum
anni tui, & literam Dominicalem, in-
gredere sequentem tabellam, in late-
re aureum numerum anni propositi
quære, in fronte literam dominicalem,
angulus communis, interuallum in heb-
domatibus, ostendet. Supra literam
dominicalem, dies concurrentes inue-
nies, quos semper integris accedere
C 2 septimas

septimanis necesse est, quoties natalis
Christi Domini, præter diem domini-
cum agitur. Ergo cum anno 1555. au-
reus numerus sit 17. litera dominicalis F.
interuallū minus est octo septimanarum,
quinque dierum concurrentium: Hic cau-
tela obseruetur: Si annus fuerit bissextus,
prior litera interuallum & dies concu-
rentes dabit, posterior à Matthiæ festo,
id est, 24. Februarij vsq; ad anni finem
durat. Sic anno 1556. aureus nume-
rus 18, literæ dominicales E. D. Vnde
litera E. cum aureo numero, interuallum
monstrat, septem hebdomadarum &
quatuor dierum concurrentium. Poste-
rior litera D, diem dominicum à 24.

Februarij, vsq; ad finem an-
ni ostendit.

TABEL

TABELLA INTERVALLI

MINORIS.

<i>Aureus</i>	0	1	2	3	4	5	6	<i>Dies cōcur.</i>
<i>numer⁹.</i>	<i>A</i>	<i>B</i>	<i>C</i>	<i>D</i>	<i>E</i>	<i>F</i>	<i>G</i>	<i>Littera domi-</i>
1	8	8	8	8	7	7	7	<i>nicalis.</i>
2	6	5	6	6	6	6	6	
3	9	9	9	9	9	8	8	
4	8	7	7	7	7	7	7	
5	6	6	6	6	5	5	5	
6	9	9	8	8	8	8	8	
7	7	7	7	7	7	6	6	<i>Intervallum</i>
8	10	10	10	9	9	9	9	<i>à natiuitate</i>
9	8	8	8	8	8	8	7	<i>Christi, vsq̃</i>
10	7	7	6	6	6	6	6	<i>ad Domini.</i>
11	9	9	9	9	9	9	9	<i>cam Esto mi-</i>
12	8	8	8	7	7	7	7	<i>hi.</i>
13	6	6	6	6	6	6	5	
14	9	9	9	9	8	8	8	
15	7	7	7	7	7	7	7	
16	6	6	6	5	5	5	5	
17	9	8	8	8	8	8	8	
18	7	7	7	7	7	6	6	
19	10	10	9	9	9	9	9	

C 3

Octa.

Octauò: Post intervallum, festa mobilia sequuntur & dies mensium, in quos incidunt. Sunt autem festa mobilia quinque, Septuagesima, Quadragesima, Pascha, Rogationes ac Pentecoste, quibus adduntur Ascensio Christi, Corporis domini festum, quod Papistis relinquimus, & Aduentus Domini. Dicuntur mobilia: Quia certos in Calendarijs assignatos dies non habent, sed iuxta ascensum vel descensum Lunationum mutantur. Hæc festa omnia à festo Paschæ deriuantur. Vnde primum de Paschate, in quem diem Aprilis vel Martij incidat, diligenter inquiremus, præcipue cum de hac festiuitate olim in Ecclesia Romana & Græca, non necessariae & atroces dissensiones motæ sint, de qua re legant studiosi Stofleri Calendarium. Iudæi semper celebrarunt Pascha & adhuc hodierno die, iuxta mandatum diuinum, Leuitici 23. decima quarta Luna mensis primi, id est, 14. die, quo Luna iuxta medium eius motum sit plena, & anni initium atque primi mensis ab

eo nouilunio inchoabant, quod ad ver-
ni æquinoctij diem, quàm proxime ac-
cedebat. Tantum igitur duo obserua-
bant, id est diem æquinoctij, & nouilun-
ium proximum æquinoctio, cuius ple-
nilunium sequeretur æquinoctium, hoc
est, semper dies plenilunij ipsis Pascha
fuit, Eodem etiam tempore, Christiani
Pascha à resurrectione Domini serua-
runt,

Sed Nicena synodus, anno Chri-
sti 328. tempore Constantini Impera-
toris, hunc ordinem mutauit, vt dissidia
tollerentur, & Pascha in sequentem di-
em dominicum transtulit, vt Paschalis
solennitas dominico die fieret, qui 14.
Lunam primi mensis proxime seque-
retur. Hoc decretum hodie in Eccle-
sia sequimur, tametsi multis modis vi-
tiosum, nec voluntati ipsorum satis fa-
ciens, qui hoc decretum proposuerunt.
Anticipatio enim æquinoctiorum &
nouiluniorum, id efficit, vt Christiani,

nunc neque iuxta patrum decreta, neque
ex mandato legis Pascha celebrent.

Vt autem Pascha Christianorum
inueniretur, in synodo Nicæna, Episcopus
Alexandrinus, tabulam terminorum
Paschalium constituit, quæ per litteram
dominicalem & aureum numerum,
Pascha ostenderet. Ac terminus
Paschalis dicitur, primi mensis plenilunium.

Ingredere igitur sequentem tabellam,
cum aureo numero tui anni, & statim
terminum Paschalem inuenies, quæ
si in Calendario vel Ephemeridibus
quæres, ostendet tibi Dominica proxima
post Pascha celebrandum. Hic notanda
simul cautela : Quando terminus
Paschalis in diem Dominicum incidit,
tunc illa dies dominica non est Pascha,
sed Dominica sequente celebratur, iuxta
hunc versum : Terminus & Pascha
nunquam celebrantur ibidem, Lux teneat
Domini, post terminum, proxima festum.

stum. Sed illud ideo factum, ne nostrum
Pascha in Iudæorum incideret.

Exempli causa : Anno 1555. aureus
numerus est 17. Ergo terminus Pas-
schalis nonus Aprilis offertur. Ab hoc
numera quinque dies, & incidet in diem
Dominicum 14. Aprilis, quo Pascha
Christiani celebrarunt.

TABELLA TERMINORVM

PASCHALIVM.

<i>Aureus numerus.</i>	<i>Termini. Paschales.</i>	<i>Aureus numerus</i>	<i>Termini Paschales</i>
1	5 Aprilis	11	15 Aprilis.
2	25 Martij.	12	4 Aprilis
3	13 Aprilis	13	24 Martij.
4	2 Aprilis	14	12 Aprilis
5	22 Martij	15	1 Aprilis
6	10 Aprilis	16	21 Martij
7	30 Martij	17	9 Aprilis
8	18 Aprilis	18	29 Martij.
9	7 Aprilis	19	17 Aprilis.
10	27 Martij		

C 5

Nono

Nonò, Inuento Paschate, reliquo-
rum festorum tempora, vel loca mensis
um, facile inuenies, quæ semper eodem
interuallo, aut præcedunt aut sequun-
tur Pascha, vt ex sequentibus patebit:

Septuagesima,	} antecedunt fe- stum Paschæ	{ 9 8 7 6 }	} Hebdoma- dibus:
Sexagesima,			
Esto mihi,			
Quadragesima,			

Rogationes	} sequuntur Pascha	{ 5 7 8 }	} Septimanis.
Pentecoste			
Trinitatis			

Festum Ascensionis Domini, se-
quitur dominicam Rogationũ, proxi-
mo die Iouis. Corporis Christi festum
Papisticum, sequitur dominicam Trini-
tatis, proxima feria quinta. Prima Do-
minica Aduentus semper, quæ Barba-
ræ festum antecedit.

Reliqua festa totius anni immo-
bilia siue fixa dicuntur, cum singula ñs-
dem cum mensium diebus, tum liceris
septenarijs, velut perpetuis sedibus af-
fixa sint.

Tantum

Tantum de his terminis propter
iuniores afferre volui bono consilio, &
longiorem explicationem in Calendarij
doctrina artifices tradunt.

Absolutis festis mobilibus, si de-
fectus Luminum expectandus sit, anno-
tatur, adduntur digiti, tempus mediæ
Eclipsis, duratio dimidia & Eclipsis qua-
liscunque figuratio. Si vero nulla Eclis-
psis futura, vno atq; altero uerbo expris-
mitur, Vt Anno 1555. duæ acciderunt
Eclipses Lunares, quarum alteram, quæ
facta existente Luna supra terram, Pita-
tus tantum expressit, ad quartum Iunij
diem in Meridiano Venetorum, Hora
15. M. 28. p. m. Puncta obscurationis
21. M. 15. Alteram quæ accidit die 27.
Nouembris neglexit, Luna existente in-
fra terram, cuius plenilunij tempus ve-
rum, incidit in 23. Horam, 45. M. 21.
S. p. m. ad meridianum Regiomonta-
num.

Ultimò, qui Planetæ regressum pati-
antur singulis annis, annotatur, & quam
diu retrogradatio duratura sit, vt postea
eò me-

melius hæc erraticarum affectio, ab in-
 exercitatis obseruari possit. Est autem
 retrogradatio, motus Planetæ contra si-
 gnorum successionem. ab ♀. in ♀. à ♀
 in ♀. & sic deinceps, Hanc omnes pla-
 netæ, excepta Luna & Sole, patiuntur.
 Atq; hæc in prima facie cuiusq; Ephæ-
 meridis paginae continentur.

*PROPOSITIO SECVN-
 da. De secunda & tertia facie
 Ephemeridum.*

Verso folio duplex offertur facies, si-
 nistra & dextra. Sinistra facies in
 nouem columnulas distributa est, quas
 rum prima mensem, nomina dierum
 præcipuorum, festa fixa, literam domi-
 nicalem & numerum dierum mensis
 continet, Sequentes verò octo colum-
 næ, veros motus Planetarum & Capiti-
 tis Draconis ostendunt, ad singulos
 dies, in signo gradibus & Minutis.
 Atq; ex his octo, prima Soli seruit, se-
 cunda Lunæ, octaua capiti Draconis,
 quin-

quinq; vero mediæ quinq; Planetis, & quælibet harum columnarum, duplicem numerorum ordinem habet, alter gradus continet, alter minuta, quod literis G & M in fronte scriptis, significatur. Quæq; etiam columna duas figuras in capite habet, quarum superior Planetam, inferior signum in quo mouetur, ostendit, & quoties ex illo signo in aliud progreditur, in descensu columnæ, signum mutatum esse vides.

Porro quinq; Planetarum columnæ, Saturni, Iovis, Veneris, Martis & Mercurij, præterea in capite duas maiusculas literas ferunt, quæ partem latitudinis Planetarum, ad initia mensium indicant. S. A. septentrionalis ascendens, S. D. septentrionalis descendens, M. A. Meridionalis ascendens, M. D. meridionalis descendens. Est autem latitudo Planetæ, distantia eius ab Ecliptica, sicut longitudo ab Ariete, declinatio ab æquatore, computatur.

Latitudines Planetarum, in calce mensis, sub ipsis Planetis adscriptæ sunt, diem

ad diem mensis cuiusque primum, decimum & vigesimum, quæ quidem appellationem à literis in fronte scriptis accipiunt, nisi in ipsis columnis descendendo literæ transpositæ fuerint, vt pro S ponatur M, aut pro A scribatur D, siue e contra scriptæ sint. Nam in tali casu, proxima litera sumenda est, & addenda quæ non mutatur.

Porro quomodo hæc latitudines ad singulos dies intermedios, accommodari debeant, & quomodo latitudo Lunæ, ad quodcunque tempus propositum inuenienda sit, paulò post explicandum erit. Quoties item aliquis ex quinque Planetis regredi incipit, id per literam R. in columna indicatur. Quando autem desinit retrogradatio, & Planeta fit directus, id per syllabam Di. annotatur.

Postremò hîc diligenter obseruandum est, quod annotati Planetarum motus, ad meridiem diei completi & adscripti referantur: Nam Astronomi diem à meridie incipiunt, ita vt quilibet dies in Ephemeridibus in meridie diei præcedentis

dentis incipiat, & in sua meridie exeat. Exempli gratia: Dies prima Ianuarij initium sumit in meridie diei vltimi Decembris, anni præcedentis, & in meridie primi Ianuarij terminatur.

Nec illud negligendum est, quod motus Planetarum, non ad apparentes, sed ad Astronomicos seu æquales dies computati sint. De differentia dierum, & de apparentium in Astronomicos conuersione, tertia propositio consulenda erit.

De dextra facie.

Dextra facies aspectibus Planetarum seruit, & in Ephemeridibus veterum octo habet columnas, in nouis quæ à Pitato editæ sunt, nona adiecta est, quæ horas meridiei continet. Prima columna dies mensis, coniunctiones atque oppositiones luminum proponit, & tempora iuxta horas & minuta in secunda columna adduntur, secunda aspectus luminarium continet, sextiles, quadratos, trigonos, cum horarum

rarū numero, sequentes quinqꝫ aspectus
lunæ ad quinqꝫ Planetas, pro vt hoc Pla-
netarū figuræ in fronte scripta indicant.

Vltima columna, aspectus Solis, &
reliquorum Planetarum inter sese, con-
iunctionem Lunæ cum capite & cauda
ostendit. Illa vero, quæ in nouis Pitati
vltimam præcedit, horas continet & Mi-
nuta temporis, ab occasu Solis, vsqꝫ ad
meridiem diei sequentis ad meridianum
Venetum.

Syllabæ quæ in columnarum ca-
pitibus, sub figuris Planetarum ponun-
tur, ostendunt, quando Planetæ sint ori-
entales, quando occidentales. O R. qui-
dem orientalem indicat Planetam, Oc-
cidentalem. Orientales & matutini
hic dicuntur, cum mane ante solem ori-
untur. Occidentales & vespertini, cum
post Solem occidunt.

Atque hîc etiam obseruabis, quod
tempora coniunctionum & aspectuum
annotata, in hac pagella, non sint usua-
lia seu horologij tempora, sed Astro-
nomica, à meridie inchoata.

Postre-

Postremo characteres Planetarum,
 signorum & aspectuum, hic diligenter
 notentur: Planetarum hi sunt chara-
 cteres: ♄ Saturnus, ♃ Iupiter, ♂ Mars,
 ☉ Sol, ♀ Venus, ☿ Mercurius, ☾ Lu-
 na, Signorum: ♈ Aries, ♉ Taurus, ♊
 Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo,
 ♎ Libra, ♏ Scorpius, ♐ Sagittarius,
 ♑ Capricornus, ♒ Aquarius, ♓ Pisces.
 Aspectuū notæ, ☌ Coniunctio, * Sex-
 tilis, □ Quadratus, △ Trigonus, ☍ Op-
 positus.

*PROPOSITIO TERTIA,
 De temporis æquatione, seu quomodo tem-
 pus vsuale apparens in Astronomicum,
 æquale, aut è contra conuer-
 tendum sit.*

Notum est ex Sphæricis Elementis,
 dies naturales duplices esse, veros,
 & mediocres. Veri sunt, qui vna æqua-
 toris reuolutione, iuxta primi mobilis
 motum constant, cum additamento ve-
 ro, hoc est, ascensione recta eius loci,
 D quem

quem Sol interim motu proprio conficit. Atque hi quidem inæquales sunt, propter motum Solis inæqualem, & propter ascensionum varietatem. Hi etiam apparentes, differentes, & vsuales dici solent.

Mediocres qui & Astronomici & æquales dicuntur, sunt, qui ex vna constant æquatoris reuolutione, & additamento mediocri, quod est ex motu Solis æquali in Eccentrico 59. 1^a 8. 2^a Ad hos dies æquales, 24. H. cum additamento mediocri, Ephemerides omnesque mediorum motuum Canones artifices componunt, & propter necessitatem hæc certa quantitas assumitur, vt æqualis cæterorum motuum sit mensura. Differentia inter dies veros & Astronomicos, æquatio dierum dicitur. Hæc triplicem formam habet, aliam Ptolemæicam, aliam recentiorum ex Ptolemæi & Copernici doctrina, aliam Regiomontani, de qua præceptum in ordine primum tabu-

tabularum Prutenicarum & canonem
folio 5. & 6. studiosi consulant.

Porro vsuale tempus in Astronomi-
cum, hoc est, dies nostros apparen-
tes inæquales, in mediocres Astronomo-
rum, sic conuerteres: Primo, quære locum
Solis, ex Ephemeridibus ad certum di-
em assignatum. Secundo, cum gradu
& signo Solis, ingredi Copernici ta-
bellam, quæ est in Prutenicis folio quin-
to, vel alteram, quæ Ephemeridibus Pi-
tati folio 53: præfixa est, signum Solis in
fronte quæras, in sinistra gradum Solis,
in angulo communi æquationem die-
rum, in scrupulis & secundis, depræhen-
des. Tertio, Hanc æquationem à tem-
pore vsuali dato subtrahas, si in priori
Canone Copernici S. litera in fronte
scripta fuerit, aut addas eandem, si A. ha-
buerit, & quæsitum prodit. Sin Regio-
montani Canone vteris, semper æqua-
tio subtrahitur.

Exempli gratia, Illustrissimus Princeps Elector Dux Saxoniae, nascitur Anno Messiae 1526. Iulij die 30. completo, Hora 5. Minuto 38. post medium noctis, secundo post bissextum. Hoc tempus, ad motuum computationem, per æquationem, initio præparandum erit. Sol ad meridiem huius diei, hæret in 15. G. 43. M. Q. In Canone æquationis Copernici inuenio Q. in fronte, 15. gradum in sinistra, angulus communis offert sub titulo S. 6. M. 51. S. æquationem. Differentia est 6. M. 7. S. Iam sic dico. 66. Minuta dant differentiam 7. secundorum, quid 43. Minuta loco Solis adhærentia? Prodit pars proportionalis 5. secundorum addenda, cum sequens numerus crescat. Vnde æquatio correctæ 1. M. 3. S. Hanc subtrahō à 5. Horis 38. Minutis, & relinquitur tempus æquale Astronomicum, 5. H. 36. M. 57. S. à media nocte Romana consuetudine.

Si Regiomontani formam sequaris, quæ in Ephemeridibus Pitati 53. folio,

folio, inuenies dierum æquationem 13.
M. 25. S. 44. T. subtrahendam, quæ
tempus æquatum 5. H. 25. M. 34. S. fe-
re exhibet.

Copernicus lib. 3. cap. 26. Reuo-
lutionum, hac forma Ptolemaica, tem-
pus æquandum esse docet: I. Habeas in
promptu ascensionem Rectam radicis
solis, quæ est ad tempus radicis Melsiæ
279. P. 55. M. 33. S. & compositi motus
solis radicem, quæ est 278. P. 2. M. 16.
S. II. Ex tabulis mediorum motuū Pru-
tenicis, ad tempus assignatum, Solis
compositum motum, temporì congru-
entem inquire, quem alias tali compen-
dio inuenies: Addito ad simplicem So-
lis motum, Verni æquinoctij præcessio-
nem, & prodibit compositus, id est mo-
tus solis æqualis, qui ab æquinoctio me-
dio, vt simplex à prima Arietis stella de-
riuat. III. Quære ascensionem rectam,
verilocum Solis, dato temporì responden-
tem. IIII. Hinc ascensionem rectam ra-
dicis, subtrahe ab ascensione recta, veri

D 3 loci

Loci Solis, ad datum tempus: Sic compo-
situm Solis radicis, à composito Solis
tempore dato, subtrahe, differentiam ser-
ua. V. Harum differentiarum mino-
rem à maiori aufer, residuum in tempus
conuertatur. VI. Si differentia ascensi-
onum maior quàm motuum, æquatio
addenda erit temporì inæquali: si mi-
nor, excessus itidem in horarum scrupu-
la conuersus, æstimato temporì adima-
tur. VII. Si differentiæ æquales fuerint,
assumptum tempus, mediocri exacte
congruet, nec opus erit æquatione.

Exempli causa,

Ad tempus genituræ, Illustrissimi
 nostri Principis, iuxta Copernicum,
 Sol incidit in 16. G. 35. ^{1a} Q. Huius af-
 censio Recta 139. G. 2. M. 37. S. 30. T.
 Compositus Solis 137. G. 13. M. 51. S.
 Differentia temporum est 219. G. 7.
 M. 4. S. Motuum 219. G. 11. M. 35. S.
 Differentia differentiarum 0. G. 4. M.
 31. S. In tempus conuersa 18. S. 4. T.
 Hæc est subtrahenda, cum differentia
 motuum

motuum sit maior, à tempore apparen-
te, & emergit tempus æquatum 5. H. 37.
M. 41. S. 56. T.

Quod si Astronomicum in vsua-
le conuertendum sit, æquationem supe-
rius inuentam, ad Astronomicum tem-
pus addemus, vbi antea subtraximus,
aut subtrahemus, vbi prius facta est ad-
ditio, & tempus apparens producetur.
Hac cautela vtimur, cum coniunctio-
num & oppositionum momenta inda-
gantur, vel in Eclipsium calculo versa-
mur. Tempus enim, quod tabulæ exhi-
bent, æquale esse constat. Vt Anno la-
bente 1556. Nouembris 16. die comple-
to, Hora 2. M. 38. S. 13. T. 58. à media
nocte, in Regiomonte, accidet oppositio
Luminum Eclipsalis, quæritur quo mo-
mento apparentis diei naturalis, hæc Ez-
clipsis apparitura sit: Æquatio dierum
est 17. M. 51. S. 24. T. addenda, Hinc
tempus oppositionis 16. D. 2. H.
56. M. 5. S. 22. T. diebus æquatis
relinquitur. Eadem forma, aspectuum
tempora, in Ephemeridibus, æqualia

commutantur, vt cum apparenti, adhibita æquatione, quam exactissime congruant.

*PROPOSITIO QVARTA. DE
temporis Reductione, vel quomodo Ephemerides, quæ ad certum meridianum computantur, ad alia quacunque loca transferantur, & è
contra.*

Sicut omnes Tabulæ mediorum motuum & similes, ita etiam Ephemerides, ad certum aliquem meridianum calculatæ sunt. Hinc facile intelligi potest diaria illis tantum conuenire locis, quæ sub eodem meridiano sita sunt, Orientalioribus vero aut Occidentalioribus nequaquam: idque propter terræ rotunditatem & meridianorum diuersitatem.

Vt autem Ephemerides, ad alias regiones, sine errore accommodentur, necesse est, vt tempus tuum, per differentiam meridianorum corrigas, quod
fit

fit dupliciter: Aut enim quærentur motus Planetarum, & tunc tempus datum ad meridianum Diariorum reducendum erit: aut tempora coniunctionum & aspectuum, ad alium meridianum, transferenda sunt.

Cum igitur motus Planetarum inquiruntur, sic procede: I. Quære utriusque loci ex Ptoletheo vel Appiano longitudinem, (sumendo locum vicinissimum, si tuum non inuenis) hoc est, distantiam à puncto Occidentali, unde initium longitudinis Astronomi instituunt. II. Facta subtractione minoris à maiori longitudine, residuum differentia longitudinis dicitur III. Hanc in partes temporis conuertas (pro singulis gradibus sumantur 4. minuta horæ, pro singulis minutis quindecim, vnum minus tum horæ, pro vno minuto differentia quatuor secunda horæ) & differentiam hoc modo conuersam, ad tempus tuum Astronomicum, per præcedentem equa-

D 5 tum,

tum, coniungito, si locus tuus Ephemeridum meridiano occidentalior: aut subtrahe, si locus tuus, hoc est in exemplo propositus, orientalis fuerit. Orientalior est, cuius longitudo maior, Occidentalior, cuius longitudo minor, id est, propior Occidenti, Nam hæc ab occasu numeratur.

Exempli causa.

Nascitur Illustrissimus noster Princeps Elector Saxoniae Augustus, Anno 1526. vt supra, Friburgi, cuius longitudo. 30. g. 39. m. Latitudo 50. g. 58. m. in tempore æquato 5. h. 37. m. 41. s. 56. t. à media nocte. Motus Planetarum cōputandi sunt, vulgari processu, ad tēpus huius genituræ, ex Ephemeridibus Vlmensibus, cuius longitudo 27. g. 49. m. si Appianum sequamur. Differentia meridianorum est. 2. g. 50. m. hoc est, tot partibus & minutis Friburgum ad Orientem magis recedit, citius numerat meridiei tempus, & Vlmæ tardius Sol oritur. Ergo noster locus natalis, cum sit lonz

longitudo maior, Orientalior dicitur.
 Conuertatur in tempus: 2. gradus dif-
 ferentiæ, dant 8. minuta temporis, sic
 50. minuta diuifa per 15. m. in quotien-
 te, 3. minuta temporis exhibent, residu-
 um 5. minutorum longitudinis, multi-
 plicatum per quatuor secunda, monſtrat
 20. secunda temporis, vnde differentia
 in tempus conuerſa 11. m. 20. ſ. à tem-
 pore æquato ſubtrahenda, & tempus
 æquatum ac reductum 5. h. 26. m. 22. ſ.
 fere. Addantur ad horas quinque à me-
 dia nocte tantum duodecim: vel aſſum-
 pto die naturali, ſubtrahantur, & pro-
 dicit tempus recte præparatum Annus
 1526. Iulij d. 30. hora 17. m. 26. ſ. 22.
 fere.

Eadem reductio omnino etiam re-
 quiritur, cum ex tabulis mediorum
 motuum Schoneri aut Prutenicis, vero
 fundamento, loca Planetarum inquis-
 runtur: Verum compendij loco ta-
 bella regionum, ciuitatum, & plærun-
 que præmittitur, vt ſine longa mora
 quæſtis

quæstioni satisfiat. Similem habes in tabulis Prutenicis folio 7. Hinc reductio ita perficitur : Quære locum tuum, aut vicinum aliquem, in hoc canone, & scrupula temporis, quæ notam A. habent, subtrahantur à tempore dato, quæ literam S. addantur, & tempus reductum relinquitur. Vt Differentia meridianorum, inter Friburgum & Montem Regium, in tempus conuersa, est 42. M. 28. S. addenda. Quia locus est occidentali-
or siue longitudo minor. Vnde tempus reductum ad meridianum tabularum prodit H. 6. M. 20. S. 28. post mediam noctem. Subtrahatur temporis æquatio 18. S. 4. T. & relinquitur tempus reductum & æquatum H. 6. M. 20. S. 9. T. 56. ad quod motus Planetarum ex tabulis Prutenicis eruantur.

Sed quid agendum erit, cum tempora aspectuum & coniunctionum, in Ephemeridibus scripta, ad tuum meridianum transferes? Differentiam meridianorum, in partes temporis conuersam

tersam, adde ad tempus scriptum in E-
 phemeridibus, si locus tuus est orienta-
 lior, aut subtrahe, si est occidenta-
 lior. Vt Natiuitatem Illustrissimi Princi-
 pis, plenilunium antecessit, Iulij 23. die,
 Hora 8. M. 40. ad meridianum Vlmep-
 sem, quæro quo tempore Friburgi acci-
 derit? Differentia est 11. M. 20. S. in
 motu subtrahenda. Ergo hic addenda
 in tempore, & prodiit tempus oppositio-
 nis ad meridianum Friburgensem, Hora
 8. M. 51. S. 20. post meridiem. Sic cal-
 culus tabularum Prutenicarum, vt dixi-
 mus, ostendit deliquium Lunæ futurum
 Anno 1556. Nouembris die 16. H.
 2. M. 56. S. 5. T. 22. à media nocte in
 Regio monte, diebus æquatis, quæro quo
 tempore in meridiano Friburgensi? Dif-
 ferentia longitudinis est 42. m. 28. s. ad-
 denda in motu, subtrahenda in tempo-
 re. & prouenit tempus Eclipsis 2. H. 14.
 M. fere, id est, 14. H. 10. M. à meridie:
 Hoc momento Friburgi, verè Luna um-
 bram terræ incurret. Vuiteberga verò
 D. 16. H. 2. M. 9. Oppositio prædi-
 cta

etiam conspicitur. Hæc collatio Ephemeridum & Prutenicarum tabularum, accurate obseruanda est, vt loca Planetarum, & tempora Eclipsium obseruationibus respondeant.

$$\begin{array}{l} OR: \} \\ OCC: \} \end{array} \begin{array}{c} \text{in motu} \\ \end{array} \begin{array}{l} \{ S \\ \} A \end{array} \begin{array}{c} \text{in aspectu} \\ \end{array} \begin{array}{l} \{ A \\ \} S \end{array}$$

*PROPOSITIO V. QVOMODO
verus motus Solis in meridie, diurnus &
horarius Lune, ac reliquorum Planeta-
rum, necnon Capitis & Cau-
dæ inueniendus sit.*

HVC dirigunt calculum Astronomi,
vt quocunque momento temporis
assignato, ostendant, in qua parte cœli,
pulcherrima Planetarum, omniumque
Stellarum corpora consistant.

Primò igitur, si cupis motum Pla-
netæ ad meridiem, id est, duodecimam
horam diei, Ephemerides ingredias
cum die proposito, in fronte quæro no-
tam Planetæ, angulus communis, mo-
tum

tum Planetæ ; in meridie diei completi, offert. Videndum hoc loco , vt signa recte extrahantur, ne quid hîc erroris committatur. Atque omnes istî Planetarum motus, vt superius monuimus , in diarijs scripti, ad meridiem diei prænotati, pertinent.

Secundò, considerandum est, an Planeta sit directus vel retrogradus, Directus est, quando sequens motus maior, & crescit. Retrogradus, quando minor vel decrescit.

Tertiò : si motum diurnum cupis, hoc est, quantum Planeta spacio 24. Horarum proprio motu in Zodiaco absoluat, hunc inuenies ex immediate sequente, ad diem propositum, & præcedente per subtractionem : tantum obseruetur, quando Planetæ sint retrogradi, quando directi, vt conueniens subtractio fiat.

• Quartò: motum horarium, nimirum quantum una hora absoluat Planeta, hac simplici ratione inuenies. Tantum diuis

diuidatur motus diurnus per 24. Horas, & in quotiente motus vnus horæ relinquitur. Vel: Primo considera motum diurnum, 2. hunc dupla, 3. eiusdem motus diurni sume dimidium, 4. numeri collecti quæsitum ostendunt sola denominatione variata, per vnā denominationis differentiam. Vt si motus diurni sint gradus assignati, minuta, & secunda prouenient: si minuta, secunda & tertia scrupula producentur.

Exempli causa:

Nascitur noster Illustrissimus Princeps, Anno 1526. currente, Iulij die 30. completo, quæro ad hoc tempus, motum diurnum Lunæ, in meridiæ, & horarium. Ingrediamur Ephemerides, & sub titulo Lunæ, ad tricesimum diem, 7. G. 38. M. Tauri inueniemus. Hic motus respondet horæ meridianæ, id est, nostræ duodecimæ horæ diurnæ, vbi Sol meridianum circulum attigit. Sumatur sequentis diei 31. motus meridiæ diei 20. G. 19. M. Tauri. Facta subtractione, motus diurnus 12. G. 41. M. relinquitur.

quitur. Si præcedentis à sequenti subtrahatur in Luna, fieri nequit, integrum signum addatur, quod sæpe accidit, ubi ad sequentem diem aliud signum ingreditur. Cum igitur spacio 24. Horarum, Luna proprio motu 12. G. 4. M. absoluat, hic motus diurnus per 24. diuidatur, facta primum graduum in minuta per 60. conuersione, & prodit motus horarius Lunæ. 31. m. 42. s. 30. t.

*PROPOSITIO VI. QVOMODO
vera loca Solis, Lunæ, aliorumq; Planetarum,
Capitis & Caudæ Draconis,
ad quoduis datum tempus
inueniantur.*

MOTUS Luminarium, Planetarum & Capitis in Ephemeridibus scripti, vt dictum est, præcise ad meridiem diei completi referuntur. Iam si ad tempora intermedia, longitudinis motu, loca erraticarum cognoscere placet, facilem initio processum trademus, vt in quibus signorū gradibus & scrupulis, ad quoduis
E tempus

temporis momentum hæreant, ex diarijs sine longa operatione depræhendatur. Hac forma incipientes Mathematicum studia contenti sint: artificiosa & certa in doctrina secundorum mobilium traditur, quam deinceps Methodi causa breuiter subiungemus.

Primo, præscribe tibi tuum tempus, reductum & æquatum, per præcedentes propositiones, hoc est, annum, mensem, diem, horam, minuta, post meridiem Astronomica ratione. Secundo, inquire motum diurnum Planetæ tui, subtrahendo motum ad meridiem diei tui, à motu diei immediate subsequenti, si directus est Planeta: aut è contra, si est retrogradus. Tertiò, considera, quot horæ & minuta, post meridiem diei tui completi, vsque ad tempus propositum effluerint. Quarto, per regulam proportionum (ponendo primo loco integrum diem, id est, 24. horas, secundo motum Planetæ diurnum, tertio horas tuas & minuta post meridiem elapsa, temporis reducti & æquati) inquire partem

tem proportionalem de motu diurno tu-
is horis & minutis congruentem. Quin-
to : Productum addendum directis, ad
motum in meridie propositum, subtra-
hendum à retrogradis. Sexto capitis
Draconis motum, vt Planetæ retrogra-
di, inquires. Huic diametraliter cauda
opponitur.

Præcepti tale exemplum sumatur;
Inquirantur veri motus Planetarum ex
diarijs nostris, ad natalitium tempus Illu-
strissimi Principis supra assignatum.
Tempus æquatum & reductum est, an-
nus 1 5 2 6. Iulij dies 30. hora 17. m. 26.
post meridiem. Ex superiori præcepto
constat, quis sit motus diurnus singulorū
Planetarum. Vnde numeris recte dispo-
sitis, pars proportionalis, 17. h. 26. m, re-
spondens, facile erui poterit: vt pro Sole
motum diurnum inuenio o. g. 57. m.
Iam sic dico : 24. h. dant 57. minuta mo-
tus diurni, quid tempus datum 17. h. 26.
m. vtor tabella manuali, vel canone sexa-
gesimorum scrupulorum, id est, multi-
plico 17. h. 26. m. per 57. minuta, pro-

E 2 ueniunt

ueniunt. 16. g. 33. m. 24. f. hunc nume-
 rum diuido per 24. horas, & prodit pars
 proportionalis 41. m. 24. f. 15. t. adden-
 da, cum in Sole & Luna sequens motus
 perpetuo crescat. Addatur igitur ad mo-
 tum Solis in meridie diei assignati, scilicet
 ad 15. g. 43. m. Leonis, unde verus lo-
 cus Solis in 16. g. 24. m. 24. f. 15. t. Leo-
 nis, signo regio & proprio domicilio. Si
 qui vsum Logistices & tabellæ sexage-
 narum ignorant, tantum ita procedant.
 24. h. dant. 57.^{1a} m. quid 17. h. 26. m?
 Redigantur horæ ad minuta per 60. &
 colloca primo loco 1440. minuta, ter-
 tio 1046. minuta, medio loco 57. mi-
 nuta, hinc tertium, id est, 1046. multi-
 plico per 57. productum diuido per
 1440.^{1a} & inuenio partem proportiona-
 lem 41. minutorum addendam vt supra,
 & incidet Sol in 16. g. 24. m. Leonis.
 Sumatur exemplum de Luna,

Motus diurnus Lunæ est 12. g. 41.
 m. In meridie enim in 7. g. 38. m.
 8. hæ-

8 hæret, quæro quis sit verus locus Lunæ? Quare sic dicendum erit: 24. horæ, id est, 1440. minuta vnius diei naturalis, dant motum diurnum Lunæ 12. g. 41. m. id est, 761. m. quid 17. h. 26. m. vel 1046. Minuta temporis assignati? Multiplico 1046. m. per 761. m. fiunt 796006. productum illud diuido per 1440. prouenit pars proportionalis 552. m. id est, facta resolutione ad integra 9. g. 12. m. Si tabella manuali utamur, præcisius nonnihil quæsitum deprehendemus, scilicet 9. g. 12. m. 46. s. 55. t. addenda. Cum igitur Luna sit in meridie in 7. g. 38. 8. addantur 9. g. 12. m. & verus Locus Lunæ emergit 16. g. 50. 14 8. vel nonnihil præcisius 16. g. 50. m. 46. s. 55. t. 8 Sed has fractiones adhærentes sine sensibili errore, in tali calculo, negligimus.

• Pro Saturno deprehenditur pars proportionalis 1. m. 27. s. subtrahenda, (quia est retrogradus, vel ad se-

quentem diem motus decrefcit.) Pro Marte p. p. 28. m. 19. f. 45. t. add. Pro Ioue 7. m. 15. f. 50. t. Add. Pro Venere 41. m. 24. f. 15. t. add. Pro Mercurio 1. g. 1. m. 44. f. 35. t. add. Pro Capite Draconis 2. m. 10. f. fubtrahenda. Est igitur Saturnus, ad tempus genituræ, in 19. g. 13. m. 33. f. Arietis retrogradus (quæ affectio litera R. cum virgula notari folet) Iupiter in 15. g. 57. m. 16. f. Geminorum, Mars in 28. g. 42. m. 20. f. Cancrī. Venus 1. g. 20. Cancrī, Mercurius 0. g. 23. m. 45. f. 8. Caput vel nodus ascendens 11. g. 1. m. Capricorni. Pro Cauda vel nodo descendente eundem locum 11. g. 1. m. & oppositum signum fumimus, Est igitur Cauda in 11. g. 1. m. Cancrī.

*PROPOSITIO VII. QVOMODO
latitudo Lune, & quinque Pla-
netarum inuenienda fit.*

Notum est ex doctrina Sphærica,
Solem in cœlo sub Ecliptica, des-
currere,

currere, reliquos Planetas ab hac solari
 via obliqui circuli nunc versus meridi-
 em, nunc versus boream recedere, inters-
 dum in ipsa Ecliptica consistere. Hæc ipsa
 elongatio sex Planetarum, (Sol enim
 nullam talem distantiam habet) latitudo
 dicitur.

Pro latitudine autem Lunæ inue-
 nienda, ita procedendum erit: Primo in-
 quire ex Ephemeridibus ad tempus re-
 ductum & æquatum, veros motus Lu-
 næ & Capitis, & characteres signorum
 resolve, in signorum completorum nu-
 meros per tabellam adscriptam.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	♈
0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11.	

Deinde motum Capitis, à motu Lunæ
 subtrahe, assumptis duodecim signis,
 si subtractio fieri nequeat, & residuum
 erit argumentum Latitudinis Lunæ.
 Tercio, cum hoc argumento ingredi-
 re canonem latitudinis Lunæ, in Epheme-
 ridibus Pitati folio 13. signa argumenti

E 4 Lunæ

Lunæ in Capite 7. gradus in sinistro latere : aut signa in calce , in dextro margine gradus quærantur. Angulus communis latitudinem Lunæ ostendit. Partem autem latitudinis , in quam partem ab ecliptica recedat, denominatio signis argumenti addita, exhibet. Quarto, Quod si argumento latitudinis minuta adhæreant, tunc latitudo ad tuum gradum scripta, subtrahatur à sequenti, si maior, vel è contra, si minor, & per regulam auream, ponendo primo loco integrum gradum, secundo differentiam, tertio minuta, quæ remanent, inquiratur pars proportionalis, quæ addi debet ad latitudinem primo ingressu inuentam, si latitudo crescit : aut subtrahenda, si decrescit.

Exempli gratia.

Ad tempus natiuitatis Illustrissimi Principis, quæritur Latitudo Lunæ, quæ commoratur ad momentum genituræ in 16. g. 15. m. Tauri. Caput Draconis

nīs in 11. g. 1 M. Capricorni incidit. Fiat
 subtractio hoc modo.

	5.	G.	M.	
☾	1.	16.	51.	8'.
♈	9.	11.	1.	6.
	4.	5.	50.	

Facta subtractione, argumentum
 latitudinis Lunæ, 4. s. 5. g. 50. m. as-
 sumptis duodecim signis, id est, distan-
 tia Lunæ à capite Draconis, relinquitur.
 Cum hoc argumento ingredior
 canonem latitudinis, in fronte inuenio
 4. signa, in latere sinistro 5. gradus. An-
 gulus communis 4. G. 6. Minuta exhi-
 bet. Differentia est 3. minutorum. Iam
 sic dico: 60. minuta argumenti, dant 3.
 minuta latitudinis. Quot 50. m. argu-
 mento adhærentia? Pars proportionalis
 est 2. m 30. s. subtrahenda, cum sequens
 numerus decrescat, & prodit latitudo
 Lunæ vera 4. g. 3. m. 30. s. Septentrio-
 nalis descendens.

E 5. Quin

Quinq; Planetæ, simili ratione ab
Ecliptica euagantur, nunc in austrum,
nunc in Boream. Cum vero hic motus
tardissime fiat, tantum ad primum, deci-
mum & vicesimum diem, latitudo assi-
gnatur, in calce diarij cuiusvis mensis.
Sed in qua plaga cœli hæreant, literæ in
fronte scriptæ ostendunt.

Cum autem latitudo, ad dies inter-
medios, quæritur, sic procede: Primo
considera, intra quos dies, propositus
intercipiatur. Secundo, differentia dua-
rum latitudinum, se immediate conse-
quentium, inquiretur. Tertio, nume-
rum dierum inter duas assignatas consi-
dera. Nam inter primum & decimum
sunt dies nouem, Inter decimum & vi-
cesimum sunt decem. Inter vicesi-
mum & primum mensis sequentis,
sunt vndecim, si mensis triginta diebus
constat. Sin 31. dierum differentia est 12.
dierum. In Februario, in anno commu-
ni, hic sunt 9. dies, In bissexto decem.
Quarto,

Quarto, Numeri in regulam collocentur.
Primo ponatur differentia dierum, Secundo latitudinis, Tertio, tempus assignatum. Facta operatione, partem proportionalem adde ad numerum latitudinis primo loco inuentum, aut minue, pro ut sequens motus crescit aut decrescit. Ut quæro latitudinem quinque Planetarum h. z. f. p. & q. ad tempus generaturæ Illustrissimi Principis assignatum, Annum nimirum 1526. Iulij diem 30. Primum igitur considerandum est, in quos dies signatos in calce, dies propositus, 30. scilicet Iulij incidat, & inuenio inter 20. diem Iulij, & diem primum mensis sequentis Augusti. At inter hos duodecim dies interciidunt, cum Iulius sit 31. dierum, & is numerus primum locum obtinet. Deinde quæro differentiam latitudinis, cuiuslibet Planetæ, inter dies signatos, quæ in Saturno est 7. minorum, secundo loco collocandâ. Tertium locum obtinet numerus dierum, inter diem signatum præcedentem scilicet 20. & diem

diem propositum 30. Iam sic dico: 12.
dies dant 7. Minuta, quid 10. dies? Pro-
dit p. p. 5. m. 50. s. addenda ad 2. g. 38.
m. cum sequens numerus crescat, & vera
Saturni latitudo 2. g. 43. m. 50. s. me-
ridiana descendens, relinquitur.

Hic notandum est: Si placet cogno-
scere, quando Planetarum aliquis in Ec-
liptica consistat, & nullam latitudinem
habeat, tunc ita procedendum erit: Con-
sidera quocunque mense, quam habeat
Planeta denominationem latitudinis, in
capite canonis positam. Si litera S. scri-
pta fuerit, Planeta Septentrionalis erit.
Hinc retro quærat, per singulos men-
ses, donec in ipsa columna literam S. de-
prehenderit, & e regione literæ, diem
mensis inuenies, qua Planeta in Eclipti-
ca consistit, & Septentrionalis fieri cœpit.
Simili modo quæro in mensibus sequen-
tibus, donec literam M. inueneris, &
die e regione posita latitudine caret Pla-
neta, mutatque suam latitudinem in
plagam cœli Meridianam. Eadem forma
pro-

procedemus, si litera M. in fronte columnæ deprehendatur.

Exempli causa;

Mense Iulio natali nostri inclyti Electoris, Mercurij latitudo est meridionalis, & retro quærendo literam M. ad ii. Iulij deprehendo. Hoc die Mercurius fuit in Ecliptica. Si sequentes dies considerentur, à principio Iulij, peruenio ad 28. Iulij, vbi litera S. expresse notat, Mercurium mutasse latitudinis motum, & ex Australi parte, in Borealem recessisse plagam, ostendit.

PROPOSITIO VIII. QVOMODO vera loca stellarum fixarum, secundum longitudinem & latitudinem, ab apparenti æquinoctio, deprehendantur.

IN mutatione auræ, & geniturarum Iudicij, stellæ fixæ maximam autoritatem habent. Quare pro inueniendis locis stellarum, vt themati cœli inscribantur, hac forma vtimur. Primum
ex

ex ipſo Ptolemæo vel Copernico, inquirenda eſt longitudo à prima Arietis ſtella. Secundo, huic longitudini addenda eſt æquinoctij verni præceſſio vera, quam iuxta decimum præceptum Prutenicum inuenies. Hinc producta longitudo ſtellæ ab æquinoctio apparente, diuiſa per 30, illud oſtendit, in quo ſigno Zodiaci, & in qua parte verſetur. Quarto, latitudo ipſa perpetuo ſibi ſimilis, nullam omnino correctoinem admittit.

Exempli gratia.

Quæro in quo loco ſigniferi Regulus hæreat, ad tempus natalitium Illuſtriſſimi Principis. Longitudo à prima Arietis eſt 115. g. 50. m. Latitudo 0. g. 10. m. Borealis. Vera æquinoctij præceſſio eſt 0. Sexagena, 27. g. 21. m, 28. ſ. Hæc addita ad longitudinem Stellæ, aggregatum 143. g. 12. m, conſtituit, illudq; diuiſum per 30. exhibet in quotiente quatuor ſigna, in reſiduo 23. g. 12. m. Ergo incidit in 23. g. 12. m. ♏. Latitudo eſt 0 g. 10, m, Borealis. Aliud, Palilicium

cium vel oculus Tauri, habet longitudinem 36. g. 0. m. Latitudinem 5. g. 10. m. austrinam : addita æquinoctij verni præcessionem, prodit longitudo ab æquinoctio apparente 63. g. 12. m. hoc est, deprehenditur oculum Tauri incidere in 3. g. 22. m. Geminorum. Sic Spica virginis obtinet 17. g. 22. m. libræ. Latitudo 2. g. 0. m. austrina. Cor scorpij in 3. g. 22. m. sagittarij. Latitudo 4. g. 0. m. meridiana.

*PROPOSITIO NONA, QUA
Methodo, ex tabulis Prutenicis, motus
sint computandi, secundum
longum.*

Observationes veterum, ab Hipparcho, Ptolemæo & similibus, annis bis mille collectæ, ad hæc tempora collatæ cum nostris à Copernico conscriptis, ostendunt præsentis temporis numeros motuum, sæpe plurimum discrepare ab usitato calculo Alphoninorum, & res ipsa hunc amplius cum observationibus non congruere demonstrat.

Quæ

Quare Copernicus nostræ ætatis artifex præstantissimus, tales constituit hypotheses, huiusmodi Canones mediorum motuum & æquationum perpetuos condidit, vt retro & ante, ad quasunque obseruationes rite accommodentur. Ac ad fundamenta huius doctrinæ Prutenicæ tabulæ spectant, opus diuinum perpetua memoria dignissimum,

Vt autem studiosi ordinem procedendi intelligant, breuibus illa complectar, quæ omnino hic requiruntur, si vera loca stellarum figuris cœli inferere conamur, & quantum sittribuendum directionibus, vbi de locis certis stellarum dubitatur, illi norunt, qui supremis labris hæc principia degustarunt.

I. *QVOMODO TEMPVS
ad calculum Prutenicum præparandum sit.*

ACCessurus ad hanc $\pi\sigma\alpha\zeta\iota\mu$ Planetarum, ex his nouis tabulis, primum certam

certam sibi temporis quantitatem præscribat, illudq; tempus sit completum. Deinde consideret, vnde initium temporis sumatur, num à diluuiò, vel à Iulio, vel à Christo Domino, vel Olympiadibus, & vnde horæ principium trahant. Nos plerumq; à Christo initium sumimus, & diei à media nocte, præcedente Calendas Ianuarias. Ideo à tempore assignato, post meridiem elapso, semper 12. horæ subtrahendæ, & residuum tempus à media nocte ostendet. Si subtractio fieri nequit, 24. horæ mutuo sumantur.

Tertio: Tempus illud Iulianum reducendum est ad meridianum loci istius, sub quo motus computantur, de quo dictum est in superioribus.

Quarto: Per locum Solis, quem Ephemerides exhibent, si placet, temporis æquatio instituatur.

Quinto: Tempus Iulianum, reductum & æquatum, abaco Alfonso-
rum ex tabulis congruentibus, folio 7. & sequentibus, accommodetur.

F

Breuior

Breuior enim ratio est Alphonſinorum,
quæ in colligendis æqualibus motibus,
tempus Iulianum, ad dierum ſexage-
nas & ſcrupula dierum redigit. Hinc ad
calculum omnium Planetarum, tempus
recte eſt conſtitutū. Huc refer in tabu-
lis Prutenicis, præceptum primum, ſe-
cundum & tertium,

Exempli gratia,

Nſcitur Illuſtriſſimus Princeps, vt
ſupra dictum, in tempore Iuliano, An-
no labente 1526. Iulij, die 30. hora 6. m.
20. ſ. 28. poſt medium noctis, in tempore
re reducto. (pro Meridiano enim vel
differentia longitudinis, ſubtraximus
42. m. 28. ſ.) Tempus completum eſt
Annus 1525. Iunij d. 30. h. 6. m. 20. ſ.
28. Æquationem poſtea addemus, quæ
etiã in hoc exemplo, cum ſit tantum
aliquot ſecundorum, magnum errorem
non inducit. Hoc præparo ad Alphonſi-
num abacum, & diligenter obſeruo, cuius
denominationis numeri extrahantur,
vt tituli in fronte ſcripti indicant.
Vnde tempori in Alphonſino reſpondent
2. ſexageſimæ

2. sexagenæ 3^æ. 34. sexag. 2^æ. 46. sex:
1^æ. 57. Dies 15^a. 51^{2a}. 103^a. 0^{4a}. scrupu-
la dierum.

*II. QVOMODO ÆQVINOCTII
verni præcessio vera, fundamentum se-
quentis operationis inueniatur.*

TEMPore ad Alfonsinum abacum
recte præparato, secundam par-
tem aggrediemur. Alfonsini, vt no-
tum est, computant motus ab æquino-
ctiali puncto, quod reuera mutari, ob-
seruationes testantur. Copernicus,
qui puncta æquinoctialia, in præceden-
tia moueri recte statuit, sicut in Luna
nodos δ & γ , imaginatur æquinoctis-
um medium, quod à prima Arietis stel-
la orbis stellati procedat, & vtrinque ab
æquinoctio medio, ipsum æquinoctis-
um verum motu diuerso & regulari dis-
cedere, hinc à stellis fixis motus æqua-
litate orditur, & ab æquinoctijs mini-
me hanc sumi posse, demonstrat. Vnde
numerat omnes motus à prima Arie-
tis stella, fixo & certo principio in

Octava Sphæra, & æquinoctiij vera præ-
cessionem ab hac Stella Arietis, addita
nostra ætate ad æquales motus, quan-
tum singulis ætatibus vera Planetarum
loca, ab æquinoctio verno distent, col-
ligit & constituit.

Necesse est igitur, initio certo con-
stare, quot partibus æquinoctium ap-
parens, in præcedentia, à prima Arietis
stella orbis stellati, recesserit. Calculi
forma hæc est: Primo. Ad datum tem-
pus recte præparatum, cum sua radice
(in æqualibus enim motibus dinume-
randis semper $\epsilon\pi\omicron\chi\alpha\iota$ annorum Christi,
siue alterius, à cuius initio motum æqua-
lem deriuamus, præmittendæ sunt) lo-
cum mediij æquinoctiij verni vel æqua-
lem Præcessionem collige, qua primam
Arietis stellam antecedit. Eodem labo-
re & modo, simplicem anomaliæ æ-
quinoctiorum, capiemus. Secundo,
Dupla anomaliæ simplicem, & per
eam duplatam ex congruenti Canone,
ipsam prosthaphæresin extrahe, id est,
differentiam, qua mediæ præcessio à ve-
ra dif-

ra differt, quam emendamus per partem proportionalem, ubi opus fuerit.
 Tertio. Hanc æquationem ab æquali motu præcessionis subtrahe, si duplicata anomalía minor semicirculo, vel adde si maior, id est, 180. Gradus excedit. Quarto. Quod collectum residuumue fuerit, veram apparentemque æquinoctij verni præcessionem continebit, siue quantum prima Arietis stella, ab ipso verno æquinoctio, ad tempus datum, distet. Præcessio enim vera æquinoctij, est arcus Zodiaci, quo distat æquinoctium verum apparens, à prima Arietis stella, contra signorum seriem. De his consulatur præceptum 10. Prutenicum.

Exempli gratia.

Tempus Alfonsinum ex superioribus repetatur. Vnde simplex præcessio æquinoctij 0. sex. 26. p. 49. 42^{2a}. 44^{3a}. Anomalía prima 2. sex. 46. p. 42^{1a}. 58^{2a}. 45^{3a}. Anomalía duplata, 5. sex. 33. p. 25^{1a}. 57^{2a}. 30^{3a}. Æquatio æquinoctiorum

etiorū o. p. 3. 1^{1a}. 5. 5^{2a}. 1. 6^{3a}. addenda. Ergo
vera præcessio o. sex. 27. p. 21^{1a}. 3. 8^{2a}. 9. 3^a.

III. COMPUTATIO MO-
tus Solis.

PRimo in calculo Solis sint in prom-
ptu hæc quatuor. 1. Vera æquino-
ctij verni præcessio. 2. Anomalia æqui-
noctiorum simplex siue prima. 3. Æ-
qualis motus Solis. 4. Annua anoma-
lia Solis æqualis additis suis constitutis
principijs. Duo inuenimus superiori
præcepto, sed æquales, nimirum Solis
& annuæ anomalie Solis, nunc primum
ad tempus assignatum, inquiruntur.
Secundo, per anomaliā æquinoctio-
rum simplicem, extrahe centri prosthæ-
phæresin, cum scrupulis proportiona-
libus. Tertio, Hæc centri æquatio,
ante semicirculum, anomalie Solis an-
nuæ addatur. Post semicirculum subtra-
hatur, & coæquata anomalia Solis an-
nua emergit. Quarto, Per hanc æqua-
tam anomaliā, inquire duo. 1. æqua-
tionem orbis annui Solis. 2. Excessum
sequentem. Quinto. De hoc excessu,
su,

su, pars proportionalis, congruens
 scrupulis proportionum, sumatur, ada-
 denda semper prosthaphæresi annui or-
 bis, ut fiat æquatio absoluta siue corre-
 cta. Sexto. Si coæquata anomalia semis-
 circulo minor fuerit, æquationem ab-
 solutam, à medio loco Solis subtrahes
 vel adde, si maior, residuum collectum
 ue, verum locum Solis determinabit, à
 capite Arietis stellati sumptum. Septi-
 mo, Addatur vera æquinoctij verni
 præcessio, abiecto integro circulo si re-
 dundauerit, & verus locus Solis, ab æ-
 quinoctio ipso apparente, in signis &
 gradibus signorum circuli, apparebit.
 Plura vide in 15. præcepto Prutenico.

Exemplum. Ad tempus natiui-
 tatis Illustrissimi Principis quæritur de
 vero loco Solis. Vera æquinoctij præ-
 ccessio 0. sex. 27. p. 21^{1a}. 38^{2a}. 03^a. Ano-
 malia æquinoctiorum prima 2. sex. 46.
 p. 42^{1a}. 58^{2a}. 45^{3a}. Solis simplex siue æ-
 qualis. 1. Sex. 50. p. 24^{1a}. 8^{2a}. 26^{3a}. Ano-
 malia Solis annua 0. sex. 38. p. 43^{1a}. 9^{2a}.
 13^a. Æquatio centri. 1. p. 56. 1^a. 02^a.

addenda. Scrupula proportionum 0^{1a} ,
 55^{2a} , 16^{3a} . Anomalia Solis æquata 0.
sex. 40. p. 39^{1a} , 18^{2a} , æquatio orbis pri-
ma 1. p. 10^{1a} , 21^{2a} , 59^{3a} , subtrahenda.
Excessus 20^{1a} , 8^{2a} , 23^{3a} . Pars proportio-
nalis de excessu addenda, 18^{2a} , 27^{3a} .
 20^{4a} . Æquatio orbis coæquata 1. p. 10^{1a} ,
 40^{2a} , 26^{3a} , subtrahenda. Vnde verus
locus Solis, ab Arietis cornu, 1. sex. 45.
p. 13^{1a} , 28^{2a} , 0^{3a} . & verus locus ab æquino-
ctio apparente 2. sex. 16. p. 35^{1a} , 6^{2a} .
Incidit ergo Sol, ad tempus natiuitatis
Principis Electoris, in 16. gradum 35.
minutum Leonis iuxta Alphonfinos in
16. g. 24 m. 24. s. Ω . vt sit differentia
11, minutorum fere.

IIII. QVOMODO VERVS locus Lunæ inueniendus sit.

COMputaturus motum Lunæ, ad
tempus recte præparatū, in prom-
ptu habeat hæc duo: Primo veram æ-
quinoctij verni præcessionem, & æ-
qualem Solis motum siue simplicem:
Se-

Secundo inquiratur Lunæ longitudo
 à Sole, & anomalia Lunæ. Tertio, lon-
 gitudo Lunæ dupletur, & per hanc dis-
 tantiam à Sole duplicatam, quærantur
 in Canone conuenienti, eodem ingressu
 hæc duo. I. Æquatio secundi Epicy-
 cli, cum sua affectione, id est, nota A.
 vel S. 2. scrupula proportionum. Quar-
 to. Æquatio secundi Epicycli, ad ano-
 maliam Lunæ, ante semicirculum, ad-
 datur: subtrahatur post 180. gradus, &
 prodit anomalia Lunæ æquata. Quin-
 to: Per hanc anomaliā Lunæ æqua-
 tam, inquiras hæc duo: I. Æquationem
 primi Epicycli 2. excessum adhæren-
 tem, Sexto. De excessu, iuxta rationem
 scrupulorum proportionalium ad sexa-
 ginta, pars proportionalis inquiratur,
 semper prosthaphæresi primi Epicycli
 addenda, & prodit æquatio absoluta.
 Septimo, Hæc æquatio primi Epicy-
 cli, à medio motu longitudinis sub-
 trahatur, si argumentum verum semi-
 circulum non excedit: aut addatur,

Si anomalia maior, & veram Lunæ,
 à medio loco Solis, distantiam pro-
 duces. Octauo, Huic distantiae Lunæ
 à Sole, addatur motus Solis sim-
 plex, à prima Arietis stella, & prodit
 vera distantia Lunæ, à prima Arietis
 stella. Ultimo, Huic producto adda-
 tur vera æquinoctij verni præcessio,
 & verum locum Lunæ ab æquino-
 ctio verno, de quo fuit quæstio, non
 ignorabis. Vide de his præceptum
 24. Prutenicum.

Declaratio.

Tempus reductum natalitium
 assumatur. Equationem postea adde-
 mus. Quæ sit vera præcessio æquino-
 ctij, & quis Solis simplex, superiora
 monstrant. Hinc longitudo Lunæ à So-
 le 4. sex. 25. p. 2^{1a}. 42^{2a}. 51^{3a}. Anomalia
 Lunæ 5. sex. 21. p. 29^{1a}. 33. 2a. 40^{3a}. Lon-
 gitudo Lunæ duplata 2. sex. 50. p. 5^{1a}.
 25^{2a}. 42^{3a}. Equatio secundi Epicycli,
 addenda, 1. p. 47^{1a}. 42a. 25^{3a}. Scrupula
 proportionum 0. p. 59^{1a}. 38^{2a}. 22^{3a}. An-
 omalia

nomalia Lunæ æquata, 5. sex. 23. p. 161^a.
 38^{2a}. Æquatio primi Epicycli addenda,
 2. p. 45. 1^a. 24^{2a}. Excessus 1. p. 211^a.
 54^{2a}. Pars proportionalis de excessu,
 addenda, 1. P. 201^a. 43^{2a}. 583^a. Æqua-
 tio primi Epicycli æquata, 4. P. 61^a.
 8^{2a}. addenda. Hinc vera distantia Lu-
 næ à Sole 4. sex. 29. P. 81^a. 50^{2a}. 513^a.
 Verus locus Lunæ à prima Arietis 0.
 sex. 19. P. 321^a. 59^{2a}. 173^a. Verus locus
 Lunæ, ab æquinoctio verno apparens
 te, 0. sex. 46. P. 541^a. 37^{2a}. 173^a. Hoc
 est, Luna incidit, ad tempus assigna-
 tum genituræ, in 16. G. 55. M. fere Tauri,
 ad dies nondum æquatos.

Hic notandum est & illud,
 quomodo per 25. præceptum Pru-
 tenicum, locus Lunæ corrigendus
 sit, ubi calculus ad tempus appa-
 rens, prius in æqualitatem non com-
 mutatum, dirigitur. Tanta enim est
 velocitas motus Lunæ, ut æqua-
 tione neglecta, in assignando vero mo-

tu, magnus error committatur, In reli-
 quis Planetis, propter tardissimum mo-
 tum sensibilem errorem non ingeret, si
 negligatur. Inquiratur ergo forma Pto-
 lemaica dierum æquatio, per tertiam
 propositionem, ac vide in canone æqua-
 lium motuum, quantus ei Lunæ æqua-
 lis motus competat, sub titulo longitu-
 dinis: vel pro binis scrupulis horæ acci-
 pito, singula scrupula gradus. Hæc de-
 inde auferes, à motu Lunæ vero iam in-
 uento, si æquatio dierum est subtracti-
 ua, alioquin ea scrupula ei adiunges, si
 affectionem additionis habuerit.

Exempli gratia.

Inuenimus in superioribus, die-
 rum æquationem, ex sententia Ptole-
 mæi 18. s. 4. t. subtrahendam. Pars pro-
 portionalis motus, respondens tempo-
 ris æquationi est 9^{1a}. 10^{2a}. 36^{3a}. 54^{4a}.
 Hanc subtrahito à vero Lunæ loco 16.
 g. 55. m. 3. s. 17. t. Tauri & prodit verus
 locus Lunæ, ad tempus apparens, in 16.
 g. 45. m. 53. s. Tauri fere,

V. *Q V O M O D O M O T V S*
& C inueniendus sit.

Primo ad tempus assignatum sint in promptu hæc quatuor. 1. Simplex Solis. 2. Lunæ à Sole longitudo simplex 3. latitudinis Lunæ motus æqualis 4. vera æquinoctij verni præcessio.

Secundo, conijce in vnam summam æquales motus, simplicem Solis, & longitudinem Lunæ a Sole, & habes æqualem Lunæ longitudinem, à primâ Arietis stella. Tertio, subtrahe hunc Lunæ æqualem motum latitudinis, & prodit distantia borei limitis, à primâ Arietis stella. Est autem boreus limes, medium punctum semicirculi Lunæ borealis. Quarto. Hinc rursus abijce Quadrantem circuli, & distantiam Capitis à primâ Arietis stella inuenies. Quinto. Adde veram æquinoctij verni præcessionem, & distantia, ab apparenti æquinoctio, relinquetur. Sexto. Ex parte opposita, locus Caudæ sumatur, & hac operatione, punctum signiferi, ascendentis & descendentis nodi, innotescet.

Exem-

Exemplum: Simplex Solis. 1. sex.
 50. p. 24^{1a}. 8^{2a}. 26^{3a}. Longitudo Lunæ à
 Sole, 4. sex. 25. p. 2^{1a}. 42^{2a}. 51^{3a}. Latitudo
 Lunæ motus 0. sex. 31. p. 41^{1a}. 13^{2a}.
 23^{3a}. Vera præcessio æquinocij verni, 0.
 sex. 27 p. 21^{1a}. 38^{2a}. 0^{3a}. Longitudo Lu-
 næ ab Ariete 0. sex. 15. p. 26^{1a}. 51^{2a}. 17^{3a}.
 Distantia borei limitis ab Ariete 5. sex.
 43. p. 45^{1a}. 37^{2a}. 54^{3a}. Distantia capitis
 ab Ariete 4. sex. 13. p. 45^{1a}. 37^{2a}. 54^{3a}.
 Verus locus capitis, ab æquinocio ap-
 parente ad tempus datum, 4. sex. 41. p.
 71^{1a}. 15^{2a}. 54^{3a}. Id est, Caput incidit in
 11. g. 7. m. 1. Ergo cauda in 11. g. 7. m. 5.

*VI. CALCVLVS QVINQVE
 Erraticarum.*

CVm motus quinque erraticarum H.
 ♄. ♀. ♁. & ♃. subducere cupis, pri-
 mum vide, vt ad tempus quodlibet pro-
 positum, recte præparatum, in promptu
 sint hæc quatuor. Primo: 1. Simplex si-
 ue æqualis Solis motus, 2. Planetæ com-
 mutatio, id est, ille arcus, qui inter Pla-
 netam & apogion medium intercipi-
 tur, 3. & ω γ ε ρ in secunda significatio-
 ne,

ne, quod ab Arietis prima stella numeratur, cui si adderes æquinoctij verni præcessionem, apogion ab apparenti æquinoctio ad datum tempus innotesceret. Veneris apogion semper eundem locum sub sphæra fixa obtinet, ac distat ab Arietis stella prima perpetuo 0. sex. 48. p. 21^{1a}, 02^a. Quarto, vera æquinoctij Verni præcessio.

Secundo, Æqualem Planetæ comutationis motum, aufer ab æquali Solis simplici, & prodit æqualis motus longitudinis Planetæ, à prima Arietis stella. Tertio subtrahere augis motum, ab æquali motu longitudinis, & prodit anomalia Eccentri. Quarto, Per hanc anomalam Eccentri, duo inquirantur. 1. æquatio Eccentri, 2. scrupula proportionum. Quinto: Inuentam æquationem Eccentri, adde medio motui longitudinis, si anomalia ipso semicirculo maior: vel subtrahere: si minor, contrarium faciendum est, pro anomalia comutationis, vt veræ Planetæ cōmutatio pueniat. Sexto, Per hanc cōmutationem æqua

æquatam, duo extrahes I. Æquationem orbis. 2. Excessum, de quo pars proportionalis per scrupula proportionum excerpatur, semper æquationi orbis addenda. Septimo: Æquationem vel parallaxin orbis coæquatam, ante semicirculum anomalix commutationis æquata, adde coæquato motui longitudinis, post vero subtrahe, & verum Planetæ locum, à prima Arietis stella, deprehendes. Octavo. Huic adde veram æquinoctij verni præcessionem, & verus Planetæ motus ab æquinoctio verno apparenti relinquetur. Hæc vera est computatio pro quinque Planetis, de qua consulant studiosi Præceptum 34. Prutenicum.

Exempli causa.

Ad tempus natalitium nostri Illustrissimi Principis, vera loca quinque Planetarum quærantur. Inuenio pro vero loco Saturni illa ordine, quæ hic sequuntur. Simplex Solis i. sex. 58. p. 24^{1a}. 8^{2a}. 26^{3a}. Commutatio siue argumentum Saturni i. sex. 59. p. 22^a. 27^a. 27^{3a}.

27^{2a}, 27^{3a}. Aux Saturni 4. sex. o. p. 33^{1a}.
 21^{2a}. 27^{3a} Vera æquinoctij præcessio o
 sex. 27. p. 21^{1a}. 38^{2a}. Longitudo Saturni
 5. sex. 51. p. 1^{1a}. 40^{2a}. 59^{3a}. Anomalia Ec-
 centri 1. sex. 50. p. 28^{1a}. 19^{2a}. 33^{3a}. Æ-
 quatío Eccentri 6. p. 12^{1a}. 47^{2a}. 27^{3a}.
 subtrahenda, Scrupula proportionum
 o. p. 35^{1a}. 48^{2a}. 35^{3a}. Longitudo Satur-
 ni æquata 5. sex. 44. p. 48^{1a}. 53^{2a}. 323^a.
 Anomalia cōmutationis æquata 2. sex.
 5. p. 35^{1a}. 14^{2a}. 54^{3a}. Parallaxis orbis pri-
 ma 5. p. 6^{1a}. 14^{2a}. 30^{3a}. addenda. Ex-
 cessus o. p. 39^{1a}. 22^{2a}. Pars proportio-
 nalis addenda o. p. 23^{1a}. 29^{2a}. 58^{3a}. 58^{4a}.
 Parallaxis orbis æquata, addenda 5. p.
 29^{1a}. 44^{2a}. 28^{3a}. 58^{4a}. Vnde verus locus
 h. ab Arietis stella, 5. sex. 50. p. 18^{1a}.
 38^{2a}. 13^{3a}. Ac verus Saturni locus ab ap-
 parenti æquinoctio o. sex. 17. p. 40^{1a}.
 16^{2a}. 13^{3a}. Hoc est, Saturnus incidit in
 17. g. 40^{1a}. Arietis. Eadem ratione Iupi-
 ter obtinet 15. g. 31. m. Geminorum,
 Mars 29. 44. m. Cancrī. Venus o. g. 27.
 m. fere Cancrī. Mercurius, 2. g. 9. m.
 Leonis,

G P R O.

*PROPOSITIO X. DE DIVER-
sa constitutione figurarum cœli, iuxta
Firmici & Ptolemai, Regiomontani,
Campani & Alcabitij spe-
culationes.*

VTilis, iucunda & necessaria hæc est
doctrina, quæ ex veris Astrono-
miæ principiis ostendit, quo processu
thema cœli ad quoduis momentum
temporis extruendum sit, totius ma-
chinæ superioris constitutio describens
da in plano, figura duodecim laterum,
vt quæ sint signa supra vel infra Horis-
zontem, in quibus locis erraticæ & fix-
æ hæreant, depræhendatur, ac totum
cœlum, hanc amplissimam molem, quæ
si in sinu parvæ tabellæ inclusam, cir-
cumferamus. Quo autem consilio fabri-
ca cœlestis primi mobilis, duodecim
domiciliis distributa sit, copiose expli-
cant Astrologi, in primis Pontanus de
rebus cœlestibus, libro secundo, capite
4. & alij quamplurimi. Sicut enim sig-
niferum, natura duce, duodecim locis
distina

distinguunt artifices: ita cœlum totis-
dem cuspidibus & domicilijs discescunt,
quibus è locis obseruatio generalis ear-
um rerum oritur, quæ vitam comitan-
tur, ac sine quibus vita ipsa esse nequit,

De distributione autem, non sim-
plex aut apud omnes omnium ætatum
Astronomos, vniformis ratio traditur,
in eo quidem consentientibus omni-
bus, quod in duodecim segmentato-
rum ædificium sit dirimendum. Sed de
circulis initia cuspidum determinanti-
bus, variæ sunt & dissidentes opinio-
nes, & hæc varietas, iudicio aliquorum,
inde originem trahit, quod qua ratione
Ptolemæus totius sideralis scientiæ prin-
ceps, initia domorum constituerit, satis
certo non constet.

Regiomontanus in opere Directio-
num tres modos fabricandi domos
cœlestes tradit, alium Campani, quem
sequitur Gazulus, alium quem docti
viri nostra ætate vt primum & anti-
quissimum maxime amplectuntur,

per gradus æquales, congruentem ad Ptolemæi & Firmici descriptiones; alium rationalem, quem ipse tantum probat. Quid hic agendum sit, quæ ratio maxime ad ueterum congruat iudicarios aphorismos, quem modum in iudicando sequantur Astrologi peritissimi, copiose Schonerus monet ultimo tractatu tertij Libri iudiciorum, quem de æquationibus domorum cœli inscripsit.

Primus modus est æqualis, quo ueteres Astrologi, quorum scripta ad nos peruenerunt, usi sunt, & nunc, ut diximus, à quibusdam, qui inter Astrologos præcipui sunt, approbatur. Hi Zodiacum primum diuidunt in quatuor quadrantes, officio Horizontis & circuli magni, per polos Zodiaci & loci uerticem transeuntis. Deinde singulos quadrantes in ternas duodenas æquales, prius constituti influentiarum circuli per circulos magnos, ex polis eiusdem (ut supra) deductos, partes diuidunt, quas domos uocant, secuti

ti

ti plane & numerum & rationem duos
 decim signorum, Itaque cum 12. cœli
 domicilia, simpliciter æqua habent in-
 terualla, quod ad Eclipticæ gradus at-
 tinet, tum inuento gradu Eclipticæ,
 qui tenet horoscopum seu ascendit, re-
 liquorum domiciliorum cuspides, ut
 uocant, per se manifestæ sunt, Ex hac di-
 stinctione illud oritur, ut semicirculus,
 qui decimæ domus principium deter-
 minat, per verticem capitis nostri tran-
 seat; qui verò primæ, Horizontem in eo
 loco, ubi Zodiaci gradus emergunt,
 exacte contingat, & æqualibus perpe-
 tuo Zodiaci partibus, ipsa domicilia
 constent, ut si aliquis prædictorum
 circulorum, per 12 g. ☿ transeat, proxia-
 mus secundum signorum seriem, per
 12. g. ♄, transibit, tertius per 12 g. ♀.
 & sic deinceps, in quo hoc etiam præ-
 cipue notandum uenit, quod initium
 decimæ domus terminetur quidem
 per circulum transeuntem per verti-
 cem capitis, sed tamen cum meridia-
 no non semper coincidat, Tunc enim

G iiij decimæ

decimæ domus limes cum meridiano
vnitur, cum poli Zodiaci in meridia-
num incidunt, ascendente primo Arie-
tis aut Libræ gradu supra Horizontem.
Plura de hac distinctione, ex veris fun-
damentis, vide in Schonero, & in Car-
dano cap. 11. de motuum restitutione,
qui de Paride ita scribit: In diuidendis
domibus, meliorem edidit omnibus
alijs observationem, Eclipticam per æ-
qualia secans, deductis ex eius polo cir-
culis. Par enim erat diuisionem circuli
rectam fore, & per polos eisdem
esse. Nec domorum diuisio particu-
laris esse poterat, nam quemcunq; ex tri-
bus alijs modis amplexus fueris, non ha-
bebis in seruitutem vniuersis, & qui in
gelida, & qui in feruida habitant regio-
ne. Quapropter cū cogeremur aliquem
punctum in summa fortitudine existen-
tem supponere, hic autem supra uerti-
cem necessario erat, visum est, vt pun-
ctus ille seorsum, quasi cœli cor poneret-
tur atq; à diuerso contrarius sub terra.

Alia

Alia enim est ratio fortitudinis, alia significati. Hæc ille.

Secundus modus est Abrahæ Auenæfræ vel Regiomontani, quem ipse autor, quod suo iudicio certis & firmis rationibus nitatur, commendans eum præcæteris insigni appellatione, rationalem seu rationabilem vocare solitus est. Hic neglecto Zodiaco, æquatorum ad hanc distinctionem assumit, ducens per Horizontis & Meridiani intersectiones, sex circulos magnos mobiles, inter quos Horizon & Meridianus, ita ut horum duo, videlicet Horizon & Meridianus, æquinoctialem primum in quatuor quartas, reliqui singulas æquatoris quartas in tres vicissimæquales partes diuidant. Postea per singula diuisionum puncta, & per prædictos polos, singulos semicirculos ducit, qui æquatorem quidem in 12. partes æquales, verum Zodiacum & totum cælum in inæquales partes 12. diuidunt, quarum quælibet vocatur domus, Hac ratione illud est manifestum

per datam hypothesin, principium decimæ domus rectam ascensionem usurpare, cum ipso meridiano circulo determinetur: initium primæ domus habere ascensionem obliquam datæ regionis, cum ipso obliquo Horizonte definiatur. Reliquorum domiciliorum circuli, alias usurpant poli altitudines, ita tamen, vt eandem habeant eleuationem, transcentes per initia vndecimæ & tertiæ domus, item per initia duodecimæ & secundæ. Opposita domicilia tenentur ab oppositis gradibus, cum æquatoris, tum Zodiaci, cum circuli domicilia distinguentes sint maximæ. Quid sit tribuendum huic speculationi, & quomodo ad sententiam veterum congruat hæc ratio æquandarum domorum, artifici decidendum relinquo. Illud tamen mihi constat, plerosq; huius artis peritissimos in iudicando vtrumq; processum, æqualem & rationalem conferre.

Tertius est Campani, qui tali imaginatione procedit: Imaginatur polos, in

in intersectionibus mutuís Horizontis
& Meridiani, datæ regionis, ac super
eis circulum maximum describit, per
Zenith loci eius, ad cuius situm erigen-
da est figura, quem verticalem vocat,
transeuntem per verticem capitis, &
punctum Horizontis, eo loco, vbi Ho-
rizontem intersecat æquator, ibidemq;
Horizonti incumbentem ad angulos
rectos sphærales. Huius semicirculum
Meridiano inclusum, ac vergentem ver-
sus ortum, in senas partes æquales di-
stinguit, per easq; sectiones, & commu-
nem Horizontis ac Meridiani concur-
sum, quatuor circulos maximos descri-
bit, qui vna cum Meridiano & Hori-
zonte cœlum in 12. intervalla, æqualia
quidem simpliciter, sed non iuxta tem-
pora æquinoctialia, nec iuxta partes
Zodiaci, partiuntur. Nunquam enim
in his determinatis spatijs, partes Ecli-
pticæ æquales inveniuntur, nisi cum ele-
uatio poli seu latitudo loci, cum maxi-
ma declinatione Solis conuenit, & poli
mundi, non longius ab Horizonte re-

cedunt, quam est distantia polorum
Zodiaci, ab ipsis mundi polis, quæ no-
stro tempore est 34. g. 28. m. $\frac{2}{3}$. ex Co-
pernici obseruatione. Quod vero in an-
tecedenti modo dictum est, de numeris
polaribus domiciliorum, vnde data as-
censione arcus Eclipticæ eruuntur, id
similiter hic quoq; locum habet.

Vltimus est Alcabitij, vel potius
Iohannis de Saxonia, illorumq; Astro-
logorum, qui ante Campanum floru-
re. Illi enim in data regione, gradus Eclis-
pticæ ascendentis arcum semidiurnum,
vel arcum æquinoctialis ei contermi-
num, in ternas æquales diuidunt. Simi-
liter & arcum seminocturnum, eiusdem
gradus ascendentis. Per has sectiones,
& punctum Eclipticæ oriens siue ascen-
dens, quinque maximos circulos descri-
bunt, per polos mundi transeuntes, qui
una cum Meridiano, cœlum in 12. in-
terualla partiuntur, quæ iuxta hanc hy-
pothesin domicilia vocantur. Initia sin-
gularum domorum non vsurpant alias,
quàm

quàm rectas ascensiones. Quia circuli omnes per polos mundi describuntur. Hæc ratio diuidendi cœlum, à doctissimo artifice Regiomontano, certis argumentis improbat & reiicitur.

Tantum hoc loco de diuersa imaginatione erigendarum figurarum cœli monere volui, in qua magna hominum ingeniosorum est dissimilitudo, cum alij signiferum, alij æquatorem, alij circulum verticalem, alij parallelum per gradum Eclipticæ orientem, meridiano circulo interceptum, assumant. In hoc tantum artifices conveniunt, quod simul omnes, semicirculum quendam, in senas æquales partes diuidant, per easque sectiones, & duo cœli puncta, ex diametro opposita, maximos circulos domicilia distinguentes describant. Nunc horum modorum $\pi\gamma\alpha\beta\mu$ simplicissime trademus, & Astronomiæ studiosis æqualem modum commendamus, vt hunc præcipue, conferentes & alterum Regiomontani vbi licet, quantum Physicæ causæ, remota superstitione, permittunt,

tunt, in iudicando ex decretis Ptolemaei, sequantur.

PROPOSITIO XI. QVOMODO ad datum quodcunq; temporis momentum, sub certa regionis latitudine, iuxta Firmici aut Ptolemai viam, ex tabulis domorum Ephemeridibus praefixis, dispositio caeli inuenienda sit.

IN construendis thematibus caeli, primo tempus vsuale requiritur, id est, annus, mensis, dies, hora & minutum, nec non eleuatio certa poli. Secundo videndum, vt hoc tempus politicum, cum Astronomico conueniat. Horarum enim diei naturalis vel artificialis, diuersa esse principia, apud varias gentes, studiosi norunt.

Astronomi diem naturalem, id est, initium 24. horarum, à meridie inchoant, Romani à media nocte in mediam noctem, Norenbergenses ab ortu, Bohemi

hemi ab occasu, & aliquæ Italiæ ciuitates: aliæ Gentes integro horologio non vtuntur, vel continuè 24. horas non numerant, sed à 12. meridiei in mediâ noctem 12. horas computant, hinc rursus incipientes, & in meridie sequenti finientes &c.

Cum igitur tanta sit horarum diuersitas, initio cogitandum est, quomodo æquinoctialis Politicæ, ad horas Astronomicas æquinoctiales, reducendæ sint. Nam ad has tantum, quæ à meridie effluxerunt, themata cœli eriguntur. Reductio hoc modo instituenda erit.

I. Si vulgaris à mediâ nocte, vbi continue horologium est 24. h. in Astronomicam reducenda, ad politicam 12. addantur, & Astronomicam inuenies, abijciendo 24. h. si excreuerint, vt Illustrissimus noster Princeps nascitur, Anno labente 1526. Iulij d. 30. hora 5. m. 38. à mediâ nocte, Adde 12. horas emergunt horæ 17. m. 38. post meridiem diei 30. completi, Vel: sit tempus datum Anno 1554. Octobris d. 6. h.

6. h. 14. m. 30. à mediâ nocte, Addo
12. horas, & prodiit aggregatum 36. h.
30. m. Demptis 24. h. relinquitur 7. d.
Octobris 2. h. 30. m. à meridie Astro-
nomica ratione.

II. Si ab ortu inchoatur, ad horam
vulgarem spacium seminocturnum ad-
dendum, abijciantur 24. horæ, si exce-
dit, & à producto vel residuo subtrahe
12. addendo 24. horas, si subtractio fieri
nequit, residuum horam Astronomi-
cam indicabit. Vt si datum tempus
VVitebergæ Anno 1554. Octobris,
die 6. hora 5. m. 45. ab ortu, quæro
quæ hora Astronomica respondeat?
Seminocturnum spacium est 6. h. 45.
m. Addo inter sese horarum & minu-
torum momenta, erunt 12. h. 30. m.
Demo igitur 12. horas, relinquuntur
0. h. 30. m. post meridiem.

III. Si hora ab occasu Solis offeratur,
adde tempus semidiurnum, ad horam,
ab oaccsu datam, & productum
Astronomicam horam ostendit. Abij-
ciantur 24. horæ, si opus fuerit. Vt nasci-
citur

citur aliquis eodem anno mense, & die,
vt supra, & hora 6. m. 40. ab occasu So-
lis, vt Bohemi numerant, & sit arcus se-
midiurnus 5. h. 14.^a. 36^a. Hic addatur
ad horam ab occasu, & prodit hora
Astronomica 11. m. 55. post meridiem.

III. Si detur in Germania tempus,
à media nocte dimidiij horologij ante
meridiem, adde 12. horas illi horæ, &
resultabit Astronomica, à meridiem præ-
cedentis diei numeranda. In horis post
meridiem, nulla permutatio requiritur.
Illud enim compertum est, horam A-
stronomicam cum dimidio horologio,
ad 12. h. noctis conuenire. Vt sit data
hora 6. m. 30. ante meridiem. Addan-
tur 12. prodit 18. h. 30. m. à meridiem præ-
cedentis diei; Vel sit data hora 6. m. 30.
post meridiem. Hic tempus politicum
cum Astronomico plane conuenit.

De inquirenda quantitate dierum
& noctium, vulgaria præcepta sphaeræ
consulantur.

Tempore hoc modo vsuali re-
ducto, ad horas æquinoctiales, quæ
à meridiem

à meridie effluxerunt. Notandum & illud obiter, quomodo horæ in tempora æquinoctialia commutentur. Simplex forma hæc est: Multiplica horas per 15. minuta diuide per 4. & proueniunt tempora seu gradus æquatoris, scrupula quæ diuidi nequeunt, per 15. multiplica, & prouenit summa colligenda in gradibus & minutis. Alij, cum spacium diei naturalis tempora fere 361. contineat, eò quòd Sol motu proprio quotidie integro circulo vnam partem fere adiicit, malunt vni horæ æquinoctiali tempora 15. m. 2. s. 30. tribuere, & vni Minuto temporis 15^{oi}. 22^a. 30^{3a}. temporalia. Vt dantur 21. h. 45^{1a}. quot tempora in æquatore respondent: luxta communem formam 326. g. 15. m. proueniunt. Vel nonnihil præcisius 327. g. 9^{1a}. 22^a. 30^{3a}.

Tertio: Quære locum solis ex Ephemeridibus, ad meridiem diei completi. Quarto. Gradum Solis completum, quære in tabula domorum (quæ Ephemeridib. præmittitur) Eleuationis tuæ, sub

sub titulo decimæ domus, & iuxta eum
tempus scriptum, sub titulo tempus à
meridie, excerpatur. Si tuam Eleuatio-
nem præcise non inuenis, tunc vicinam
assumito. Quinto: Ad illud tempus,
adde primo horas & minuta tua, dati
temporis Astronomici, post meridiem
elapsi. 2. Pro quibuslibet sex horis tuis
vnum minutum. 3. pro singulis quin-
decim minutis, gradui Solis adhærentis
bus, vnum minutum. Hæc omnia in
vnam summam colligantur. Sexto: Sic
collectum habens tempus, reiectis si fie-
ri potest 24. Horis, quære in tabula do-
morum Eleuationis tuæ sub titulo tem-
pus à meridie, & statim sub titulo deci-
mæ domus, signum & gradus cordis
cœli inuenis, atq; sub titulo primæ do-
mus gradum coorientem, pro modo æ-
quali, id est, qui in omnibus domicilijs
æquales gradus ascendentis signi reti-
net, & signorum seriem sequitur. Est
autem Cor cœli propriè gradus Ecli-
pticæ, qui meridianum circulum trans-
sit. Tempus à meridie, nihil aliud est,
H quam

quam ascensio recta loci Solis ab Aries
te, in tempus conuersa. Septimo, Cor
coeli scribe in aream figuræ 12. laterum,
cum tempore genituræ. Signum & gra
dus primæ domus in cuspidem primæ
inscribatur, in cuspidem secundæ se
quens signum, in cuspidem tertiæ tertiu
m, & sic consequenter, cum totidem
gradibus, quot in primo domo scripsis
sti. Hoc modo figura absoluta erit, quod
ad signa Zodiaci attinet.

CAVTELA.

In tabulis domorum has partes
obseruabimus. 1. In capite tabellæ of
fert se poli eleuatio, cui tabula domo
rum deseruit. 2. Sub hoc titulo ponit
tur signum, vero loco Solis deseruiens.
3. Sub quolibet caractere Solis septem
columnulæ offeruntur. Titulus primæ
est tempus à meridie, secundæ columnę
titulus est decimæ domus, Decimæ en
nim domui, gradus & signum ibi pos
tum, deseruiunt. Sic ad 11. 12. 1. 2. 3.
principia cuspidū ibi inueniuntur, Atq;
hoc

hoc modo sub quolibet signo, sex domorum principia posita, inuentes.

DECLARATIO.

Nascitur Illustrissimus Princeps,
Anno Mæssæ currente 1526. Iulij, Die
31. hora 5. m. 38. post medium noctis.
Lōgitudō 30. g. 59. m. Eleuatio poli dati
loci natalis 50. g. 58. m. id est 51. g. fere.
Ad hoc tempus vsuale & æstimatum,
totius cœli positus inquirendus erit. Se-
cundo cum tempus horarum, Germa-
nica consuetudine, à media nocte sit
assignatum, addo ad 5. h. 38. m. tantum
12. horas, vel subtrahō 12. h. assumptis
24. h. si subtractio fieri nequeat, & tem-
pus Astronomicum, Dies completus
30. h. 17. m. 38. post meridiem, relinquitur.
Tertio, Sol ad meridiem incidit in
15. g. 43. m. 8. Quarto, Hic locus So-
lis sub decima domo inuentus, exhibet
tempus à meridie ascriptum 9. h.
10. m. Quinto, Ad hoc tempus à me-
ridie, addo nostrum natiuitatis 17. h.
38. m. Pro 17. horis nostris addo duo

H 2 minuta

minuta, pro 43. minutis Solis tria minuta temporis. Vnde aggregatum 26. h. 53. m. prodit. Residuum, si 24. horæ abijciantur, est 2. h. 53. m. Sexto. Ad 2. h. 54. m. numerum proxime maiorem, sub titulo tempus à meridie, inuenio Cor cœli 8 16. Ascendens 27. g. 8. Hinc subiiciatur thema cœli, & inuenies seruata graduum æqualitate & signorum ordine in secunda 27. m. in tertia 27. ♌, in quarta 27. m, in quinta 27. ♎, in sexta 27. ♏. in septima 27. ♐. in octaua 27. ♑. in nona 27. ♒. in decima 27. ♓. in vndecima 27. ♒. in duodecima 27. ♑. In ipsam aream inscribemus tempus genituræ, & Cor cœli 16. 8. addemus.

PROPOSITIO XII. QVOMODO iuxta Regiomontani modum rationalem, figura cœli constituenda sit.

SIMilem rationem in constituendo themate cœli, Regiomontanus sequitur,

quitur, iuxta rationalem modum, nisi
quod æquatorem in æqualia spacia 12.
secet, vt diximus, vnde Eclipticæ inæ-
quales arcus oriuntur, vt exemplis stu-
diosis innotescet. Inuenies autem prin-
cipia sex cuspidum, ex tabulis Domo-
rum hoc modo: Conflatum tempus an-
tea inuentum, per æqualem, quære in
eadem tabula domorum, sub titulo tem-
pus à meridiè & in linea transuersali sta-
tim sex domorum initia, pro tempore
oblato, deprehendes, Pro reliquis sex
cuspidibus (nam in 12. spacia, vt notum
est, totum cœlum Astrologi dispescent)
sume oppositorum domiciliorum eos-
dem gradus & opposita signa. Hæc est
simplex ratio erigendi figuras cœli, &
certiorem viam cum quadam præcisio-
ne paulo post, ex tabulis Directionum,
vt vocant, subiungemus.

Exempli gratia.

Repetatur exemplum genituræ
Illustrissimi Principis supra assignatum.
Tempus conflatum abiectis 24. h. est

H 3 2. h.

2. h. 5 3. m. inquirendum in tabulis domorum 51. Graduum sub titulo tempus à meridie, & iuxta modum rationalem, in linea transuersali, sex domorum principia inuenies hoc ordine.

Cuspis 10^x | 11^x . | 12^x . | 1^x . | 2^x . | 3^x .
 $16. \text{v}$ | $28. \text{ii}$. | $4. \text{vi}$ | $27. \text{vi}$ | $18. \text{iiij}$ | $12. \text{ii}$

Sunt ergo oppositæ:

4^x . 5. 6. 7. 8. 9.
 $16. \text{m}$. $28. \text{v}$ $4. \text{iii}$ $27. \text{iii}$ $18. \text{x}$. $12. \text{v}$.

Hic notandæ sunt aliquot cautelæ. I. Figuræ cœli eriguntur, ad dies naturales veros inæquales siue apparētes, vel ad tempus nondum æquatum nec reductum, vt Planetarum loca, ad dies naturales æquales Astronomicos, inquireuntur. Si tempora aspectuum in diarijs scripta, vel alias inuenta, nec non Eclipsium apparitiones, ad dies æquales, referuntur. Vnde facta æquatione primum, deinde ad dies apparentes thema cœli extruendum erit.

II. Si

II. Si ad meridiem diei, vel ad horam meridianam præcise dispositio cœli quæritur, tantum locum Solis in signis & gradibus sub decima domo inquiremus. Hinc simpliciter sine vlla longiori additione, locus Solis exhibet Cor cœli, sub titulo primæ in linea transuersali horoscopum inuenies.

III. Si ingressu tabularum, præcise locum Solis non inuenis, & minuta integris gradibus adhærent, tunc tempus adscriptum à meridie ita corrigatur. 1. Tempus ad gradum Solis inuentum excerpe. 2. Differentiam temporis extra scripti & immediate sequentis in columna, inquire. 3. Hæc multiplicetur per minuta Solis, productum diuidatur per 60. & prodit tempus verificatum, respondens loco Solis. 4. Huic tempori verificato, adde tempus tuum datum, & vt ante, principia domiciliorum cœli inquirentur. Plures cautelas non necessarias, volens omitto.

Oppositio signorum hic simul obser-
uetur.

Υ. 8. II. 5. 9. 11.
♌. 11. 7. 10. 4. 12.

Oppositæ cuspides.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

7. 8. 9. 10. 11. 12.

*PROPOSITIO XIII. QVOMO-
do figura æstimata, iuxta modum ratio-
nalem, ex tabulis directionum
erigenda sit.*

IN superioribus dictum est, quomodo
Ipositus cœli, quod ad signa Zodiaci
attinet, ex tabulis domorum, tantum in
integrâ gradibus, sine scrupulis negle-
cta præcisione inueniendus sit: nunc
certiorem processum ex 14. Propositione
ne Regiomontani per canonem Re-
ctarum & obliquarum ascensionum ad-
demus. Ordo procedendi hic est;

Primo. Sint in promptu hæc tria,
vt tempus natiuitatis æstimatum, Astro-
nomic

nomice post meridiem elapsū. 2. Longitudo & latitudo loci. Nam per certam poli in data regione eleuationem, ex tabula domorum rationali, quæ ad finem ascensionum obliquarum adiecta est, quærendæ sunt eleuationes pro 1^a & 3^a. ac pro 12^a & 2^a domibus, quæ ad tempus seruandæ sunt. 3. Verus locus solis, ad tempus reductum & æquatum.

Secundo, quærat^r veri loci ascensio recta, ex canone ascensionum rectarum. Tertio: Ascensioni rectæ iam inuentæ adde ascensionem rectam temporis, & conflabitur ascensio recta mediæ cœli, abiecto integro circulo, si opus sit. Quomodo autem tempus nostrum vsuale Astronomicum conuertendum sit, supra exposuimus. Horas enim, vulgari ratione, tantum per 15. æquatoris gradus multiplico, minuta diuido per 4. emergunt gradus hinc temporis minuta quæ diuisionem non admittunt, multiplico per 15. prodeunt minuta æquatoris, & hæc dicitur ascensio recta

H 5 tempo

temporis. Quarto: Huic ascensionī rectæ mediū cœli, adde 30. g. & habebis ascensionem aliquam 11^a. Iterum 30. g. adde, & prodit ascensio obliqua 12^a. Huic 30. g. coniunge, & proueniet ascensio obliqua ascendētis. Huic denuo adde 30. g. & prodit ascensio obliqua 2^a. domus. Tandem & huic 30. g. adijce, & ascens. obl. 3^a. domus inuenies. Quinto: Quære gradus Eclipticæ (respertis ascensionibus) congruentes, nimirum, vt singulæ in sua tabella, & eleuatione inuestigentur, videlicet ascensionem mediū cœli in canone ascensionum rectarum, Ascendentis in latitudine tui loci, 11^a & 3^a. in propria Eleuatione, 12^a & 2^a. sub congruenti numero polari. Postremo: Inuentis sex domorū dictarum initijs, innotuerunt, & reliqua per loca Eclipticæ opposita.

Cautelæ I. Figuræ cœli ex tabul. Direct. ad tempus secundum dies vextros inæquales eriguntur: Hoc tempus genituræ aut alterius rei, non nisi per instrumenta exacte sciri potest. 2. Tempora

pora aspectuum aut Eclipsium, ad dies
æquales computantur Astronomicos.
Illa igitur sunt æquanda, vbi thema cœ-
li ex his tabulis constituendum erit. 3.
Planetarum loca figuræ inscribantur,
calculata ad tempus reductum & æqua-
tum. 4. Obseruandum est & illud, quomodo
primum mobile iuxta ordinem
cuspidum conuertatur. A prima fit mo-
tus in duodecimam, A duodecima
in vndecimam, & sic deinceps. De-
inde in themate cœli, lineolæ cuspides
domorum constituunt. Spacium duas
bus lineis interiectum domus dicitur.

Exempli gratia.

Facta est natiuitas Illustrissimi Prin-
cipis, Anno labente 1526, Iulij d. 30. h.
17. m 33. p. m. sub longitudine 30. g. 39.
m. Eleuatione polari 50. g. 58. m. Ad hoc
tempus quæritur constitutio cœli, ex ta-
bulis directionū Regiomontani. Tem-
pus reductum & æquatum est 17. h. 26.
m. ex superioribus petendum, Verus lo-
cus solis 16. g. 24. m. & Eleuatio po-
laris pro 1^a & 3^a est 31. g. 41. m. id est,
32. g.

32. g. fere. Pro 12^a & 2^a 46. g. 56. m.
 1. 47. g. Ascensio recta solis 139. g. 52. m.
 36. f. Ascensio recta temporis, 265. g.
 14^{1a}. 5^{2a}. 30^{3a}. Ascensio recta mediꝝ coe-
 li 44. g. 7. m. abieeto integro circulo.
 Ergo ascensio obliqua vndecimæ do-
 mus 74. g. 7. m. Duodecimæ 104. g. 7.
 m. Primæ 134. g. 7. m. Secundæ 164. g.
 7. m. Tertiæ 194. g. 7. m. His ascensio-
 nibus, ordine præscripto, arcus Eclipti-
 cæ respondentes, inquirantur, & exacta
 operatione incidet in decimam cuspi-
 dem 16. g. 36. m. 8 In vndecimam 29.
 g. 55. m. II. In duodecimam 3. g. 43.
 m. 8l. In primam 27. g. 35. m. 8l. In se-
 cundam 18. g. 11. m. III. In tertiam 12.
 g. 6. m. III. Hinc in domum oppositam
 decimæ, id est, in quartam incidet 16. g.
 36. m. III. In quintam 29. g. 54. m. IV.
 In sextam 3. g. 53. m. III. In septimam
 27. g. 35. m. III. In octauam 18. g. 11.
 m. IV. In nonam 12. g. 6. m.
 V. Thema coeli statim
 addemus.

PRO

*PROPOSITIO XIII. QVOMODO ad datum tempus figura cœli erigenda sit, iuxta modum æqualem Firmi-
ti aut Ptolemæi ex tabulis Di-
rectionum.*

IVxta Ptolemæi & Firmici descriptio-
nes, figura hoc modo constituatur. 1.
Per superiorem propositionem, ad da-
tum tempus, ascensio recta medij cœli
inquiratur. 2. Huic addatur quadrans
circuli, id est, 90. gradus, & habebis ob-
liquam ascensionem ascendentis. 3. cum
hac ascensione, inquire in tabula ascen-
sionum Eleuationis tuæ, signum, gra-
dum & minutum Eclipticæ correspon-
dens. 4. Inuentum signum cum suis gra-
dibus & minutis, colloca in ascenden-
te. In secundo domo sequens signum
cum totidem gradibus & minutis si-
gnetur, in tertia tertium signum, & sic
deinceps iuxta signorum seriem. Pos-
tremo ingredi in canonem ascensio-
num rectarum, cum ascensione recta
medij cœli, et signum, gradum & minu-
tum

tum respondens huic ascensioni extra-
he, idq; scribe in aream thematis, & cor-
dis cœli appellatio addatur.


DECLARATIO.

Ad idem tempus supra assigna-
tum, pro modo æquali, thema cœli est
constituendum, nimirum ad Annum
1526. Iulij, d. 30. h. 17. m. 38 p. m. sub
elevatione 51. g. fere. Tempus redu-
ctum & æquatum 17. h. 26. m. Verus
locus Solis 16. g. 24. m. Ω . Ascensio
recta Solis 138. g. 52^{1a}. 36^{2a}. Ascensio re-
cta temporis 265. g. 14^{1a}. 5^{2a}. 30^{3a}. As-
censio recta mediæ cœli 44. g. 7. m. Unde
ascensio obliqua ascendens 134. g.
7. m. Hinc produco ascendens genitu-
ræ 27. g. 35^{1a}. Ω . Cor cœli 16. g. 36^{1a}.

Vnde sequentia cœli thema-
ta extruuntur.

THE.

THEMATA COELI EX TA-
bulis directionum Regiomontani.



*PROPOSITIO XV. QVOMODO
ad datum tempus, iuxta Alcabitij spe-
culationem, figura cœli consti-
tuenda sit.*

I. Ad datum tempus, per superiora præcepta, quærat^r Ascensio recta medi^j cœli. 2. Huic adde circuli quadrantem, & prodibit ascensio obliqua ascendentis 3. Quære arcum semidiurnum gradus Eclipticæ ascendentis, qui ascensioni obliquæ responderet, & eius seminocturnum, & vtriusq; tertia pars sumatur. 4. Hunc arcus semidiurni trientem, adde ascensioni rectæ medi^j cœli ter, & conflabis ordine ascensionem rectam initij 11^æ. 12^æ. ac 1^æ. domus. 5. Ascensioni rectæ primæ domus, bis adde ordine arcus seminocturni trientem, et inuenies ascensionem rectam 2^æ & 3^æ. reliquorum orientalium domiciliorum. 6. Ex canone ascensionum rectarum, gradus Eclipticæ respondentes inuenies (licet Horoscopi gradus prius constet) qui cuspides sex domorum

morum orientalium obtinent. Vnde
cuspidēs sex occidentalium, per puncta
opposita, non ignorabis.

Exempli causa.


Quæritur thema cœli, iuxta hanc
Alcabitij doctrinam, ad momentum
temporis supra assignatum. Ascensio
recta est Mediꝝ cœli 44. g. 7. m. Ascen-
sio obliqua ascendētis, addito circuli
quadrante 134. g. 7. m. cui respondet
27. g. 35. m. ♄. Huic Horoscopo arcus
semidiurnus respondet 150. g. 40. m.
15. s. Arcus seminocturnus 74. g. 20. m.
15. s. Ergo triens vel tertia pars arcus
semidiurni, facta diuisione per ternari-
um, est 35. g. 13. m. Arcus Semino-
cturni triens 24. g. 46. m. Hinc emergit
ascensio Recta vndecimæ 79. g. 20. m.
si triens arcus semidiurni ad ascensio-
nem rectam mediꝝ cœli addatur. Duo-
decimæ 114. g. 33. m. Primæ 149. g. 46.
m. Secundæ 174. g. 32. m. si triens arcus
seminocturni, ad ascensionem rectam
primæ addatur, Tertiæ 199. g. 18. m.
His ascensionibus, arcus Eclipticæ con-

I

gruen-

gruentes inuestigentur, & inuenio in
vndecima 20. g. 12. m. II. in duodecima
22. g. 43. m. III. In secunda 24. g. 2. m. III.
In tertia 20. g. 54. m. III. Arcus Medi
coeli & ascendens nunquam mutatur.
Vnde hoc thema coeli oritur.

ΣΧΗΜΑ ΑΛΚΑΒΙΤΙΙ.



PRO

*PROPOSITIO XVI. QVOMODO
thema cœli inquirendum ex senten-
tia Gazuli & Campani.*

PROponas tibi, vt in præcedenti for-
ma, certum genituræ tempus, cum
elevatione polari tui loci. 2. Quæras
ascensionem rectam Mediꝝ cœli ex as-
censione vera loci Solis & temporis
propositi. 3. Ex tabula domorum se-
cundum Campanum et Gazulum (que
est in fine tabularum ascensionum
obliquarum in Regiomontano) ad tu-
am elevationem quæratu interstiti-
um, (id est arcus æquatoris) decimæ
domus cum numero polari 11^a. &
3^a. inter decimam & vndecimam in-
terceptum. Hinc interstitium 11^a. cum
numero polari 12^a. & 2^a. 4. Iunge
interstitium 10^a. & 11^a. aggregatum
à 90. Gradibus demptum, relinquit in-
terstitium 12^a. quod est æquale inter-
stitio primæ domus. 5. Interstitium 2^a.
domus æquale est interstitio 11^a. 6. In-
terstitium 10^a. addas ad ascensionem
I 2 rectam

rectam mediꝝ cœli, & habes ascensionem obliquam 11^a. sub congruenti Eleuatione inquirendam, vt notum est.
 7. Interstitium 11^a, addas obliquæ 11^a, & inuenies ascensionem 12^a, obliquam.
 8. Interstitium 12^a, huic addito, vel quadrantem circuli addas ascensioni rectæ mediꝝ cœli, & prodit obliqua primæ.
 9. Interstitium 12^a, domus addito obliquæ 1^a. & habes 2^a, obliquam.
 10. Interstitium 11^a, secundæ obliquæ ascensionis iungito, & tertiæ domus ascensio obliqua producitur. 11. Singulis ascensionibus quærito in conuenientibus tabulis, sub congruenti eleuatione, arcus Eclipticæ coorientes, & inuenies sex cuspidum principia ex sententia Gazuli.
 12. In opposita domicilia oppositi gradus & signa scribantur, & figura completa erit.

DECLARATIO.

Ad datum tempus conformandum est thema cœli. Ascensio Recta mediꝝ cœli est 44. g. 7. m. Eleuatio poli datæ regionis 51. g. vnde ex canone domorum,

morum, secundum Campanum, ad la-
 titudinem 51. Graduum, Interstitium
 10^x. domus 19. g. 58. m. vndecimæ &
 tertiæ numerus polaris 23. g. Interstiti-
 um 11^x. domus 27. g. 30. m. Duode-
 cimæ & secundæ numerus polaris 42. g.
 Iungatur 11^x. & 10^x. interstitium, pro-
 dit aggregatum 47. g. 28. m. Illud à
 Quadrante demptum, relinquit inter-
 stitium 12^x. scilicet 42. g. 32. m. quod
 congruit cum interstitio primæ, vt se-
 cundæ, cum interstitio vndecimæ cus-
 pidis. Addo igitur ad ascensionem re-
 ctam Mediæ cœli 44. g. 7. m. interstiti-
 um decimæ 19. g. 58. m. prodit ascen-
 sio obliqua vndecimæ 64. g. 5. m. in-
 quirenda sub Eleuatione 23. g. Huic
 adde interstitium 11^x. 27. g. 30. m. pro-
 dit ascensio obliqua duodecimæ 91. g.
 35. m. sub polo 42. g. Huic iungatur
 interstitium 12^x. 42. g. 32. m. emergit
 ascensio obliqua 1^x. 134. g. 7. m. sub 51. g.
 poli. Iterum huic adde 42. g. 32. m. ori-
 tur ascensio obl. 2^x. 176. g. 39. m. sub polo,
 42. g. Ultimo. huic adde interstitium

I 3 secundæ

secundæ 27. g. 30. m. relinquatur in ag-
 gregato ascens. obl. 3^æ. 204. g. 9. m. sub
 numero polari 23. Graduum. Vnde si
 singulis ascensionibus obliquis suos po-
 lares numeros recte accommodabis, sex
 domiciliorum cœli orientalium Eclipti-
 cæ loca hoc ordine inuenies. In decima
 16. g. 36. m. 8. Vndecima 15. g. 33.
 m. II. Duodecima 21. g. 2. m. 5. Pri-
 ma 27. g. 35. m. 8. Secunda 27. g. 2.
 m. III. Tertia 22. g. 8. m. III. Hinc
 sequens constitutio cœ-
 li oritur.



Thema

THEMA COELI IVXTA

Campanum.



PROPOSITIO XVII. *Quo-
modo Planetarum, Stellarum fixarum lo-
ca, & pars fortunæ figuræ cæli, per præ-
cedentes propositiones erectæ, ar-
tificialiter inseran-
tur.*

EX præcedentibus propositionibus
illud constat, quomodo ad quod-
cunque momentum temporis, figura cœ-
li ex sententiâ veterum & recentiorum
artificum, constituenda sit, vt quæ signa
sint supra terram, quæ infra, quod sig-
num oriatur, quod occidat, ac quod
δωδεκάτημοριον domum quamlibet pos-
sideat, recte innotescat: Nunc quæritur,
quomodo Planetæ figuræ inscribantur,
vel in quibus domibus cum Stellis fixis
primæ aut secundæ magnitudinis Pla-
netæ collocandi sint, vt totum thema
absoluatur. Vt igitur huic quæstioni sa-
tis fiat, initio per præcedentes proposi-
tiones, accurato studio, vera loca Pla-
netarum secundum longitudinem & la-
titudinem, nec non Stellarum fixarum,
inquirantur. His habitis, considera, quæ
domorum contineat signum, in quo
Planeta fuerit, & intra quas cuspides
gradus incidat. His inuentis, Planetam,
Stellam aut partem in eam domum in-
scribe, quæ illis cuspidibus terminatur,
obseruato tantum graduum numero &
ordi-

ordine. Vt in nostro themate, verus locus Solis est 16. g. 24. m. ♄. Hoc signum inuenio in prima & duodecima iuxta rationalem, & cum 16. g. in duodecimam domum incidat, in hoc domicilium locum Solis inferemus, vt figuræ supra propositæ ostendunt. Eadem ratione ♄ in vndecimam incidet cum ♃ ♃ & ♄, sic ♄ in decimam cum Luna, Satur. in nonam, ♄ in quintam. Hæc est vulgaris ratio, quam sine præcisione plerumque hic sequimur.

Alij, qui subtilius hæc scrutantur, propter latitudines Planetarum & stellarum, hac forma vtuntur: Initio considerant, quæ domorum contineat signum, vt dictum est, Planetæ, quem themati inscribemus: Hunc si fuerit in eo gradu, qui ponitur in cuspide domus, carens simul latitudine, in cuspidem domus collocant. Si plures gradus in longitudine cuspidem domus possident, quam sit longitudo Planetæ, inferunt Planetam in domum præcedentem cuspidem, ad quam videlicet fit motus pri-

mi mobilis (ea enim continet gradum Planetæ) sin pauciores, in domum sequentem, quæ signum & gradum Planetæ continet, & cuspidem domus sequitur, erraticam inscribunt. Quod si Planeta habuerit latitudinem & eam septentrionalem, & signum Planetæ fuerit in aliqua domorum, quæ est in medietate cœli ascendente, id est, à principio decimæ ad finem usq; tertiæ, & gradus longitudinis Planetæ in cuspidem aliquius domus, Planetam referunt in domum præcedentem ultra cuspidem, versus quam est motus primi mobilis: Si vero meridionalis, contrarium instituunt, & Planetam collocant in eam domum, quæ cuspidem secundum ordinem domorum sequitur. Ut Luna ad tempus genituræ nostri Principis incidit in 16. g. 51. m. 8. Latitudo est 4. g. 31^a. 30^{2a}. septentrionalis. Quæro in quam domum collocanda sit hac via? Incidit in medietatem ascendentem, cum sit in signo decimæ domus, & latitudinem habet septentrionalem, Ergo
in

in nonam domum, ad apicem mediꝝ
cœli, vt in præcedentem locum Lunæ
inscribemus. Sic ♄ incidit in 29. g. 44.
m. 55. iuxta Copernicum, latitudo est
0. g. 10. m. 55. s. Borealis. Commoratur
ergo in medietate cœli ascendente,
cumq; sit latitudo septentrionalis, vn-
decimæ & non duodecimæ domui
Martem inscribemus. Sic spica ♁ inci-
dit in 17. g. 22. m. 2. latitudo 2. g. 0. m.
meridionalis. Vnde tertiæ domui lo-
cum Stellæ, cum sit australis, in medie-
tate ascendente, recte inscribemus.

Si Planeta vel Stella fixa fuerit in
medietate cœli descendente, quæ à prin-
cipio quartæ vsq; ad finem nonæ, & si
longitudo Planetæ in cuspide alicuius
domus, contrario modo procedendum
esse monent, hoc est, si latitudo septen-
trionalis, inserunt domui Planetam,
quæ cuspidem secundum ordinem se-
quitur: Si meridionalis, in præceden-
tem domum, versus quam sit motus
primi mobilis, Stellam inscribunt. Stel-
læ enim fixæ vel Planetæ in latitudine
septen-

septentrionali, citius oriuntur & tardius
occidunt: in meridiana tardius ori-
untur, & citius occidunt, quam gradus
eorum secundum longitudinem. Vt H
ad tempus genituræ, incidit in mediet-
ratem descendantem, Longitudo est
17. g. 40. m. V. Latitudo 2. g. 30 m.
33. s. austrina. Ergo H in nonam domū
precise incidit. Plura de hac materia vi-
deant Studiosi in tabulis Directionum,
problemate 21. ubi ostendit Regio-
montanus quid sit agendum, cum stel-
læ fixæ octo gradus latitudinis exce-
dunt. Partem fortunæ, quam sic nomi-
nant Astrologi ex sententia Ptolemæi,
sic inuenies: Subtrahe motum Solis à
motu Lunæ, resoluenda signa vtriusq;
in signorum completorum numerum.
2. Ad residuum adde gradus ascenden-
tis, id est, illos gradus, qui in cuspide
primæ domus incidunt. 3. Sic inuenta
signa, numerentur à signo primæ do-
mus inclusiue, & sumpto numero sta-
tim in proximo signo, colloca partem
fortunæ, cum gradibus & minutis, quæ
signis

signis inuentis adhærent. Vt quæro locum partis fortunæ in proposito theamate, subtraho motum Solis à motu Lunæ, hoc modo.

fig.	g.	14	24.
☾ 13	16.	50.	47. 8.
☉ 4.	16.	24.	24. 8.
<hr/>			
9.	0.	26.	23.

Differentia est 9. fig. 0. g. 26. m. assumpto integro circulo, vt subtractio fiat. Huic addatur ascendens 27. g. 35. m. & prodit uerus locus partis fortunæ 9. s. 28. g. 1. m. assumptis motibus ex Ephemeridibus. Hæc nouem signa completa, numerentur ab ascendente, & in decimam domum partem fortunæ 28. g. 1. m. incidere deprehendes. Si qui plures partes genituræ inquirere volunt, dodecatemoria, nouenas & similia. Schoneri primum librum de iudicijs consulant. Nunc de verificatione in hoc Compendio, pauca addemus

PRO

*PROPOSITIO XVIII. QVO-
modo per ☿ vel ☽ precedentem verum
ascendens nati, per consequens verum
vel certe vero proximum genitu-
ra tempus perqui-
ratur.*

Primum modum verificandi, quem
Animodar Arabice vocant, tradit
Ptolemæus lib. 3. cap. 2. Quadripartiti,
per Almuten Almusteli, vel dominan-
torem precedentis ☿ aut ☽, & hoc mo-
do perficitur. Primū quære, an coniun-
ctio luminum immediate natiuitatem
præcesserit, an vero oppositio Solis &
Lunæ, ac si præcesserit nouilunium, nati-
uitas coniunctionalis, si oppositio, præ-
uentionalis dici solet. Secundo: Si con-
iunctionalis est genitura, inquire Al-
muten, hoc est, vide quis Planetarum
plures dignitates essentielles habuerit in
gradu, in quo iuncta fuerint lumina,
vel in loco Solis & angulo sequente. Sin
præuentionalis, erigatur figura cœli ad
tempus oppositionis precedentis im-
medias

mediate, & inquire dominatorem gra-
dus eius luminaris, quod tempore ple-
nilunij supra Horizontem, aut in orien-
tis cuspide, si in Horizonte oppositio
accidit, & angulo sequente. Nonnulli
tantum in hoc casu locum Lunæ su-
munt, siue sit supra vel infra terram. An-
gulum sequentem dicimus eum, quem
luminare motu primi mobilis proxime
præterit. Dicitur autem Almuten
Almusteli, seu dominator alicuius gra-
dus is Planeta, qui plures habet dignita-
tes essentialia, in loco Zodiaci pro-
posito, & inuenitur per tabellam digni-
tatum essentialium Planetarum, quæ
domino domus quinque, exaltationis
quatuor, triplicitatis tres, termini duas,
faciei vnam dignitatem attribuit. Ter-
tio: Motum eius Planetæ, qui fortior
est, diligenter inquire, ad tempus ge-
nituræ æstimatum, gradusque eius & mi-
nuta, non considerato signo, confer ad
gradus & minuta ascendentis & mediij
cœli seu cordis cœli in modo æquali.
Vtrius, n. gradus, propius accedunt ad
gradus

gradus Almuten, in eo angulo pone gradus æquales gradibus Almuten, seruato anguli signo. Hinc reliquarum domorum cuspides ex tabulis directionum aut domorum inquirantur, & prodit figura per Animodar verificata.

Quarto, Tempus verificatæ natiuitatis hoc modo cognosces: Quære ascensionem obliquam ascendentis æstimatedi & verificati, maiorem de minori subtrahe, productum conuerte in tempus, gradibus multiplicatis per quatuor, minutis diuisis per 15, quod prouenit adde ad tempus æstimatum, si ascensio ascendentis verificati maior fuerit quàm æstimatedi: Vel subtrahe, si contrarium acciderit, & prouenit tempus natiuitatis correctum. Vel si placet, tantum ex tabulis domorum tempus vtriusque mediij cœli, æstimatedi & verificati extrahe, si figura rationali modo constituta erit, aut vtriusque cordis cœli, in modo æquali, differentiam facta subtractione ad tempus æstimatum adde, si gradus veræ natiuitatis maior

maior gradu æstimatæ: aut minue, si minor.

DECLARATIO.

Verificanda est Natiuitas nostri Illustrissimi Principis, per Animodar, vt vocant, vt certo constet Astrologo, vtrum tempus genituræ æstimatum recte sit assignatum, ad directionum tempora exactius constituenda. Error enim tantum 4. minutorum temporis anni vnus integri errorem inducit. Inspectis igitur Ephemeridibus, natiuitatem immediate luminum oppositionem præcessisse depræhenditur, quæ Vlmæ accidit die 23. Iulij h. 8. m. 40. Id est, Frisburgi 8. h. 51. m. 20. s. si fiat reductio ad nostrum meridianum natalis loci, additis 11. m. 20. s. vnde natiuitas præuentionalis. Tempore huius Plenilunij Luna fuit supra terram, quod probatur, si thema cœli ad 23. Iulij h. 8. m. 51. erigatur. Oritur in prima 17. g. ♄. Cœlum mediat 22. ♄. Ergo Luna incidit in duodecimam, quæ ad tempus 6. reductum & æquatum 8. h. 28¹⁰. 21²⁰. in
K 9. g.

9. g. 19^{1a}. 48^{2a}. ☿. commoratur. Sole
 obtinente partem oppositam 9. g. 20. m.
 ♄. in sexta domo, In hoc signo ☿. cum
 sit supra terram, & angulo sequente
 quem proxime præterijt, id est, cardine
 orientali, vt ex tabella dignitatum essen-
 tialium patet. ☿. habet. 9. dignitates. ♄.
 5. ♂. 3. ♀. 7. ☿. 5. ☿. 3. Vnde ☿. Almu-
 sten Almusteli, cum cæteros dignitati-
 bus essentialibus vincat. Huius Plane-
 tæ, verum motum inquire ad tempus
 genituræ reductum & æquatum, ac in-
 uenies iuxta Copernicum ☿. incidere
 in 15. g. 31. m. ☿. Hic locus Eclipticæ,
 neglecto signo cum ascendente & me-
 dio cœli æstimato, conferatur. Differen-
 tia ab ascendente est 12. g. 4. m. A me-
 dio cœli 1. g. 5. m. vnde cum propior sit
 Medio cœli, quam ascendenti gradu-
 um ratione, affirmo Medium cœli per
 Animòdar verificatum 15. g. 31. m. 8.
 Signum enim anguli nunquam muta-
 tur. Huius ascensio Recta 43. g. 2. m.
 Addatur quadrans circuli, prodit ascen-
 sio obliqua ascendenti verificati 133.
 g. 2. m.

g. 2. m. cui respondet arcus Eclipticæ, sub elevatione poli regionis datæ, 26. g. 49. m. Q. Differentia ascensionum obliquarum, ascendentis æstimati & verificati 1. g. 5. m. In tempus conuersa 4. m. 20. s. subtrahenda à tempore æstimato, cum ascensio obliqua verificati sit minor, & tempus correctum natiuitatis inclyti Principis 17. h. 33. m. 40. s. post meridiem, relinquitur. Postremo ad hoc tempus prius reducendum & corrigendum per æquationem, loca Planetarum inquirantur, eritq; tota figura absoluta per primam verificationem.

PROPOSITIO XIX. DE VERIFICATIONE per Trutinam Hermetis, seu per moram nati in utero materno.

SECUNDI modi autor esse Hermes dicitur, & à Ptolemæo 51. Centiloquio his verbis traditur. In quo signo Luna est genituræ tempore, Illud in concepto fac ascendens, & in quo signo

no inuenta fuit in conceptu, illud aut
eius oppositum fac ascendens in partu.
Forma procedendi communi via, va-
rijs multorum opinionibus neglectis
hæc est, 1. Erigatur figura cœli ad tem-
pus æstimatum, quod dicitur prope ve-
rum, propter æstimationem iuxta pul-
satilia horologia, quo mediante incerto,
verum tempus per verificationem inue-
nitur. 2. Ad tempus æstimatum redu-
ctum & æquatum, locus Lunæ recte
inuentus, figuræ inscribatur, & consi-
dera in quo loco consistat. 3. Quære di-
stantiam Lunæ ab angulo orientis, si
Luna sub terra est, vel ab angulo occi-
dentis, si supra terram, subtrahendo si-
gna & gradus anguli à signo & gradib.
Lunæ, assumptis 12. signis, ubi ope-
ratio exigít. 4. Cum elongatione inuen-
ta, quære moram natí ex sequenti tabel-
la semper accipiendo proxime mino-
rem distantiam, si tua in canone præcise
non inuenitur.

Quinto, tempore moræ inuento,
tempus conceptionis hoc modo cog-
nosces.

nosces. 1. Quære dies morę in vtero ma-
terno. 2. Considera an annus proposi-
tus sit communis vel bissextus, Si fuerit
communis, tabella mensium inspecta,
sub conuenienti titulo, quære mensem
completum, immediate præcedentem
natiuitatem, numerum dierum è regio-
ne positum excerpe, 3. Huic adde nu-
merum dierum natiuitatis, & prodit
numerus dierum à principio anni, vsq̃
ad diem natiuitatis, Eodem modo agen-
dum est, si annus bissextus, & habebis
propositum. 4. Hinc subtrahe dies mo-
ræ à diebus, à principio anni elapsis, as-
sumptis 365. D. si communis, vel 366.
diebus, si bissextus, residuum quære in
prædicta mensium tabella sub titulo an-
ni communis, aut sub titulo anni bisex-
tilis, si fuerit bissextus, & si residuum
præcise inueneris, habes è regione diem
mensis vltimum, quo videlicet quis con-
ceptus sit. Si non præcise inueneris, ac-
cipe numerum proxime minorem, &
subtrahe à numero residuo quem quæ-
ris: quod superest, dies mensis imme-
diate

diate sequentis, qua conceptus est natus. 5. Considera motum Lunæ ad meridiem inuenti diei conceptionis, qui si ab ascendente æstimato minus distet quàm 13. g. dies tua est vera dies conceptionis. Sin plus distat, non est vera, & tunc accipe sequentem diem, si Luna ascendens excedit: vel præcedentem, si Luna ab ascendente superatur. In aliis quibus casibus, per duos dies, aut retro, aut ante numerandum est, vt experientia ostendet.

Sexto. Horam conceptionis sic inuenies: Subtrahe ascensionem rectam Solis, meridiei conceptionis, à Capricorno inchoatam, ab ascensione obliqua Lunæ natiuitatis æstimatæ ab Ariete, relictum conuerte in horas & minuta. Hinc tempus conceptionis quæsitum proueniet. Octauo. Ad tempus conceptionis sic inuentum, reductum & æquatum, quære motum Lunæ verum, qui erit verus gradus ascendentis natiuitatis. Deinde reliquarum domorum cuspides ex tabulis domorum aut dices

directionum per 24. problema Regio:
montani colligantur. Si enim angulum
M. C., inuenisti, quæres eius ascensio:
nem rectam. Si angulum ascendentis,
inquires ex tabula regionis ascensionem
obliquam. Ab hac subtrahe Quadrantem,
prodit ascensio recta M. C. vel ad:
das mediꝝ cœli ascensionem 90. g. emergit
obliqua ascendentis. Cognita ascensio:
ne recta mediꝝ cœli, reliquarum cuspi:
dum ascensiones, pro modo rationali,
vt supra, per continuam 30. g. additio:
nem inquires, ac gradus Eclipticæ re:
spondentes, non aliter ac prius, elictes.

Postremo.

Tempus verificatæ natiuitatis,
non aliter quam in Animodar didicisti,
inquires. Hinc thema cœli uerificatum
oritur, per Trutinam Hermetis, cui lo:
ca Planetarum inserimus, ut tota con:
stitutio recte absoluator. Ab hac regula
abortiui omnes, septimoq; mense nati,
excipiuntur, & tantum ad eos pertinet,
qui 9. aut 10. mense, vt fieri solet natu:
rali ordine, in lucem eduntur.

Exempli gratia.

Verificanda est Natiuitas nostri Illustrissimi Principis per Trutinam Hermetis. Luna tempore genituræ æstima-
tæ, iuxta Ephemeridum calculum, est in
16. g. 51. m. 8. in medio cœli supra
terram. Vnde eius distantia ab angulo
occidentis est 2. s. 19. g. 16. m. Tempus
moræ est 264. dierum. A principio an-
ni communis, ad mensem genituræ, elap-
si sunt 181. dies : addatur nostrum
tempus 30. Iulij h. 17. m. 38. prodit.
tempus elapsum à Ianuario 211. d. 17. h.
m. 28. Hinc subtrahio tempus moræ
264. d. prodit residuum 312. d. 17. h. 38.
m. additis diebus 365. cum subtractio
fieri nequeat, quæ diem conceptionis in
superiorem annum cadere ostendit.
Hoc igitur residuum, in mensium ta-
bella, ostendit numerum proxime mi-
norem 304. d. ad Octobrem, qui dem-
ptus à superiori 312. d. relinquit diem
conceptionis mense sequenti die 8. Est
igitur conceptio facta Anno 1525. No-
uembris die 8. Ad meridiem huius diei
Luna

Luna est in 27. g. 14. m. ♄. Distantia
 ab ascendente æstimato, tantum est 0. g.
 21. m. quæ cum 13. g. non excedat, dies
 conceptionis vera est. Nunc de hora
 quæritur: Sol ad meridiem conceptio-
 nis, in 25. g. 45. m. m. cuius ascensio re-
 cta ab Ariete 233. g. 24. m. 30. s. à qua
 demantur 270. gradus, id est, initium ♋
 rectæ ascensionis, addito integro circulo,
 vt subtractio fiat, & relinquitur ascen-
 sio recta à ♋. inchoata 323. g. 24. m. 30.
 s. Luna vero ad momentum natiuitatis,
 vt supra ostensum, incidit in 16. g. 5. m.
 8: Vnde eius ascensio obliqua, in data
 latitudine loci, ab Ariete 22. g. 19. m.
 36. s. Ab hac subtrahenda est ascensio
 recta Solis, prodit differentia 58. g. 55.
 m. 6. s. id est, in tempus conuersa 3. h.
 55. m. 40. s. 24. t. Vnde conceptio fa-
 cta Anno 1525. Nouemb. d. 8. h. 3. m.
 56. post meridiem. Ad hoc tempus, si
 placet conceptionis thema inspicere, fi-
 gura cœli erigenda erit, vnde nonnulli
 fortitudinem fœtus ad debilitatem, nec
 non alia quædam notatu digna, iudi-

canda æstimant. Deinde ad idem tempus conceptionis, inquiero verum locum Lunæ, qui ex motu diurno 13. g. 33. m. & parte proportionali 2. g. 13. m. incidit in 29. g. 27. m. Q. Est igitur ascendens per moram verificatum 29. g. 27. m. Q. cuius ascensio obliqua 139. g. 46. m. Differentia ascensionum est 2. g. 39. m. in tempus conuersa 0. h. 10. m. 36. s. addenda ad tempus æstimatum, cum uerificata ascensio sit maior, & prodit h. 17. m. 48. s. 36. Quare per Trutiznam Hermetis, facta natiuitas, Anno 1526. Iulij. d. 30. h. 17. m. 48. s. 36. p. m. Ad hoc tempus, postremo loco, figura cœli subijciatur, loca Planetarum inferantur, & tota verificatio perfecta erit.

*SEQUITVR TABELLA
mensium & mora.*

TA.

TABELLA MENSIVM.

1. Ianuarius.	31.	31.
2. Februarius.	59.	60.
3. Martius.	90.	91.
4. Aprilis.	120.	121.
5. Maius.	151.	152.
6. Iunius.	181.	182.
7. Iulius.	212.	213.
8. Augustus.	243.	244.
9. September.	273.	274.
10. October.	304.	305.
11. Nouember.	334.	335.
12. December.	365.	366.
In anno	communi	Bissexto.

Moram nati in vtero materno, sine tabella, hoc modo inuenies, Vt Albubaster docet. Gradus distantiae Lunæ ab angulo ascendentis vel septimæ duplicatos per 24. diuidas, & in producto dies inuenies, in residuo, quod diuidi nequit, horas. Has horas & dies addes moræ mediæ, si Luna sub terra, quæ est 283. d. vel minori 258. d. si supra terram inueniatur.

TA.

TABELLA MORÆ.

Sig.	G.	Luna sub terra, ab ascendente.	Luna supra terram ab angulo 7 ^a . do.
0.	0.	272.	258.
0.	12.	274.	259.
0.	24.	275.	260.
1.	6.	276.	261.
1.	18.	277.	262.
2.	0.	278.	263.
2.	12.	279.	264.
2.	24.	280.	265.
3.	6.	281.	266.
3.	18.	282.	267.
4.	0.	283.	268.
4.	12.	284.	269.
4.	24.	285.	270.
5.	6.	186.	271.
5.	18.	287.	272.
5.	29.	288.	273.

PRO

*PROPOSITIO XX. DE EXA-
mine æstimatedi temporis, per ac-
cidentia nati.*

IN tertia verificatione, temporis æsti-
gnati, requiritur, vt ascendens æstima-
tum experientia probetur, per ægritu-
dines aut alia aduersa accidentia, cor-
pus & animum molestantia. Estq; hæc
triplex, alias per transitus maleficarum
Stellarum super ascendens, alias per an-
nuas profectiões, alias per directiones,
verum ascendens, & verum genituræ
tempus inquiri.

*DE PRIMO MODO, PER
transitus maleficarum stellarum
super ascendens.*

1. Erige figuram genituræ æstima-
tæ. 2. Quære an natus aliquod incom-
modum passus sit in suo corpore, quo
anno, mense & die illud acciderit. 3.
Quære illum diem in Ephemeridibus,
an aliqua ex infortunis, tali die, gradum
ascendentis figuræ æstimate feriat, vel
per transitum corporalem, vel per radi-
um

um eius maleficum, vel prope. Quod si sic inuenis, tunc gradum & minutum infortunæ istius, pono loco ascendentis, seruato tamen signo ascendentis æstimatedi. In verificationibus enim nunquã signa sunt mutanda. Hic etiam considerabis, transitum domini ascendentis, & Almuten natiuitatis, per loca infortunarum, seu radios eorum genituræ infortunatos. At illæ ægritudines, quæ per motum infortunarum accidunt ad ascendens, non diu durant, ad paucos videlicet dies nisi infortunæ essent stationary. Sed si diu durauerint ad septimanam vel duas annuas profectiões examinabimus.

*SECUNDVS MODVS PER
annuas profectiões.*

- I. Erige figuram æstimatam, & de tempore accidentis diligenter inquire.
2. Considera in tabella aspectuum, an profectio annua ascendentis, eo anno, ad corpus vel radios malignos infortunæ, pertingere possit.
3. Si hoc sic inuenis,

nis, numera dies intermedios, inter diem
natiuitatis & diem accidentis, & hos
dies per sex multiplica, productum di-
uide per 73. Illud quod in Quotiente
gradum, quod remanet, minuta ostendit.
4. Hos gradus & minuta subtrahe à
loco promissoris accidentis, & verus
gradus & minutum ascendentis geni-
turæ propositæ remanebit. Hic notan-
da est cautela: Si accidens vltra septimam
nam durauerit, videndum est, per has
annuas profectiões, an aliqua coniun-
ctio magna fuerit, in ascendentis signo,
vel alius malignus aspectus ☉, aut ☿, vel
Eclipsis aliqua. Tunc talis gradus, in
quo sit ☉ magna, aut ☉, aut ☿, aspectus,
aut Eclipsis, & effectus eius in tempus
ægritudinis inciderit, gradus ascendens
erit. Si nihil horum inueneris, ad dire-
ctionem accedendum erit.

*TERTIVS MODVS, PER
Directiones.*

1. Vide an signum ascendens, via
Directionis, ad aliquem malignum ra-
dium, vel corpus infortunæ pertingat.

Huius

Huius promissoris accidentis, ascensionem obliquam inquire, sub Eleuatione loci, in quo facta est natiuitas. 2. Considera annos ætatis, & ab ascensione inuenta, subtrahe gradus & minuta, quæ annis & diebus completis congruunt, à natiuitate vsq; ad annum & diem accidentis (nam quilibet annus valet gradum vnum, sex dies, vnum minutum in directionibus) & quod remanserit, ascensionem obliquam ascendentis vericonstituet. 3. Huic ascensioni obliquæ, sub tua Eleuatione, quære arcum signiferi respondentem, qui erit ascendens verus. 4. Pro reliquis deinde cuspidibus inueniendis verificatæ genituræ, & impositione Planetarum, ut supra, procedendum erit.

Exempli gratia.

Quidam nascitur Anno 1530.
Decembris d. 13. h. 13. m. 45. p. m. sub
eleuatione 52. g. fere. Ascendens æstima-
tum 19. g. 25. m. ☿. Hæc natiuitas
examinanda est per accidentia. Incidit
autem hic natus, in tertianam febrim.
Anno

Anno 1550. labente, Maij 11. die. Quare per transitus maleficarum stellarum, Martem aspiciemus, qui huius accidentis promissor principaliter radio opposito ascendentis locum ferit. Inuenitur enim in Ephemeridibus, ad diem 10. completum in 9. g. 53. m. V. Portenditur igitur accidens morbi, cum ascendens significans corpus nati, malefico Martis radio inficiatur. Sic domina ascendentis ♀. illo ipso die coniunctione corporali transit locum domini genituræ Saturni, iuxta nostræ ætatis Astrologos. Quid hinc colligendum fuerit, vides. Adde & hoc, quod eodem anno & die h. 5. fuerit coniunctio loci Hylegialis, Lunæ scilicet, cum Marte, qui eo ipso anno in Reuolutione, sextæ domus hospitator, in opposito primæ, corpore in sexta inuenitur. Hinc ascendens per locum Martis 9. g. 53. m. ♄. relinquitur.

ALIVD.

Schonerus insignis Mathematicus, natus est Anno. 1477. Ianuarij d. 16. h. 11. p. m. sub Eleuatione 50. g. Anno

L

1535.

1535. Ianuarij d. 1. h. 5. id est, 58. anno
 ætatis completo, dicit se ex alto cecidisse
 se, & huius casus causam fuisse H. in Q.
 retrogradum, & peruenisse ad eundem
 locum, in quo fuerit genituræ tempore.
 Ex hoc accidente suæ natiuitatis ascen-
 dens æstimatum examinat. Profectio
 annua peruenit eo anno ad 25. & H. est
 in 20. g. 32. m. Q. Dies intermedij inter
 diem accidentis & natiuitatis sunt 349.
 Multiplico per sex, & diuido per 73.
 proueniunt 28. g. 50. m. Hunc nume-
 rum subtrahò à loco H. & ascendens ve-
 rificatum 41. g. 52. m. 22. relinquitur.

ALIUD.

Anno ætatis 40. diebus 192. com-
 pletis, incidit in scabiem & Melancho-
 licas infirmitates. Tunc ascendens per-
 uenit via directionis ad H. □. qui inci-
 dit in 20. g. 32. m. m. Huius ascensio
 obliqua, sub Elevatione 50. g. est 250. g.
 46. m. Tempus ipsum annorum com-
 pletorum & dierum, dat 40. g. 32. m.
 vnde ascensio obliqua veri ascendentis
 210. g. 14. m. cui respondet 21. g. 40.
 m. 22.

Aliud.

ALIVD.

